


6193/B

16''

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
LITHIASI RENALI,
QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,
JOHANNIS GUILIELMI GARNIER,
Matheseos Magistri, Philosophiæ Naturalis Doctoris, ordinis Mathematici et Physici Prof. Ordinarii,
NEC NON
AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU
ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO,
PRO GRADU DOCTORATUS,
SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS,
IN ACADEMIA GANDAVENSI,
RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,
PUBLICE DEFENDET

EVERHARDUS WYNANDUS VAN DER BURGH,
AMSTELODAMENSIS.

Die 19ª Junii 1823, horâ XIª ante meridiem.

GANDÆ, APUD MAX. ANT. MAHNE, BIBLIOPOLAM.
1823.

Secundo Martii mensis die, anno 1818, facultatis Medicæ Professores, opiniones in dissertationibus exhibitis emissas, auctoribus proprias habendas esse, et illas a se nec approbari nec improbari statuerunt.



OPTIMIS

PARENTIBUS,

PRÆCEPTORIBUS

ET

AMICIS

Hocce Opusculum, eâ, qua par est, pietate et observantiâ,

D. D. D.
AUCTOR.

. . . . quæque ipse miserrima vidi
Et quorum pars magna fui.

Virg. Æneid. lib. II. vers. V.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

LITHIASI RENALI.

INTRODUCTIO.

Si debita animi intentione illa opera Mediea perlustramus, in quibus isti morbi tractantur, qui ob indolem et decursum suum vulgo *invete-rati* vocantur; atque si illos morbos, quales secundum hodiernorum medicorum experientiam esse censentur, cum descriptione comparamus, quæ in veterum scriptis exstat: tunc sane miramur non modo copiam illorum seriptorum, in quibus de istis morbis agitur, verum magis etiam multitudinem illorum remediorum, quæ a medicis deinceps ad istos morbos domandos plurimi æstimata sunt, licet experientia multorum sæculorum satis ostenderit, quam parvi pretii longe maxima istorum remediorum pars fuerit. Atque hinc profecto quis non sine ratione omnino colligat, nonnullos morbos ob diversitatem adhibitorum remediorum *in-sanabiles* judicatos esse.

Itaque morbi omnes et hæreditarii et acquisiti, qui ad chronicorum catalogum referuntur, caneer puta, phthisis, hydrocephalus internus et tandem Lithiasis Renalis, quæ supra fuerint allata, plane confirmant.

Quibus omnibus, quatenus ad propositum objectum referri possunt, tamquam rem notatu maxime dignam superaddere oportet, præclaros in arte viros, qui Lithiasin Renalem describendo operam navavere, effeetibus eausarum morbosarum, quam causis ipsis intentos magis

fuisse. Itaque corporum heterogeneorum in hisce organis latitantium externam formam, numerum, analysin et sedem indagando, tempus omne consumpsere; princeps propositi objectum, quæque litteris æternum mandare erant dignissima, renum utpote conditionis mutationumque præcipuarum in illorum parenchymate abortarum, cum Lithiasi cruciati fuissent, sedulam investigationem in medio relinquere, quæ potissimum ex illis sumenda experimenta, qui Lithiasi Renali ubi fuissent affecti, alio quovis morbo diem obiissent, quorumve rerum substantia haud ita pridem ante obitum sequenti quodam morbo fuisset destructa, quo enim casu experientiæ veritas, quominus propositam finem attingamus, non parum observatur.

Ex prædictorum negligentia eruitur error et ignorantia veri, in qua versamur circa mutationes, quæ in renum functione et humore, quem cum morbose adficiuntur, secernunt, supervenire solent, et hinc forte sedula perquisitione multum in explicandis horum organorum functionibus conferre possemus, illinc melius de causis corpora illa peregrina producere valentibus statueremus, et tandem morbum præverteremus insanabilem, si radices forte altiores ejecerit.

Igitur Academiæ legibus ut satisfaciam, Lithiasin Renalem pro dissertationis meæ inauguralis objecto selegi, eo magis, quod paulo antequam doctorali examini me submiserim, abhinc duobus fere annis, crudelis ille morbus ex improviso me ita invaserit, ut ad leniendum illum aut tollendum, undequaque opem petere coactus fuerim. Itaque, quæ propria experientia et practicæ aliorum, quorum doctrina et auctoritas circa hunc morbum maxime valet, me edocuerunt, hic publice exponere animus est. Quibus ut rite procedam in prima dissertationis parte hujus morbi etymologiam, historiam, et varias ejusdem modificationes exponam, (quoad analysin chemicam et calculorum descriptionem, Lectorem Benevolum, prolixitatis materiæ causa, ad opera de hoc morbo ex professo conscripta, dimitto): sequitur diagnosis causarumque enumeratio; dein ad prognosin et curam maxime convenientem transibo: tandemque ad finem dissertationis quatuor morbi historias, analysin chemicam ad quartam morbi historiam pertinentem et calculorum in descriptis morbis obviorum effigiem, cui præmissa est explicatio, adjungam.

§ I.

ETYMOLOGIA.

Lithiasis, quo nomine morbus, qui calculorum in corpore humano existentiam supponit, insignitur a vocabulo græco λίθος, quod *lapidem*, significat, unde λιθιάω, *calculos patior*, derivatur. Adhiberi igitur nequit ad generationem heterogeneorum illorum corporum exprimendam, quia tantummodo eorumdem præsentiam denotat. Lingua Romana hic morbus exprimi nequit, nisi duplici saltem vocabulo utamur. Adjicitur præterea adjectivum, quod sedem calculorum recte exprimit, quia observatio docuit hactenus, nulla peculiaria organa corporis humani reperta fuisse, in quibus non aliquando calculus niduletur. Itaque si renes occupet, vocatur morbus Lithiasis Renalis, dum in vesicæ urinariæ cavo sedem fixit, tum Lithiasis vesicalis dicitur, et sic porro.

Alii auctores variam denominationem assumpserunt, quâ morbum significarent. Vocabula vero, quibus utuntur, rem non tam recte, neque tam præcise exprimunt, quia potius desumpta sunt a symptomate individui morbi comite; nephralgia calculosa, verbi causa, præcipue dolorem a calculo natum in renibus indicat, dum tamen probe scimus calculos in renibus sæpius diu hærere, quin tamen ulla ingrata sensatio percipiatur; itaque nephritis calculosa potius renum inflammationem a calculi præsentiam natam, quæ iterum potius effectus, quam morbum ipsum denotat. Hisce rite perspectis, credimus nos, vocabulum Lithiasis omnibus illis præferendum esse, adjuncto scilicet adjectivo, quod sedem calculi accurate exprimat. Quare morbum, de quo tractaturi sumus, Lithiasin Renalem vocabimus.

§ II.

HISTORIA MORBI.

Symptomatum Lithiasin Renalem concomitantium mira varietas, e calculorum magnitudine, numero, figura, superficie, asperitate vel le-

vitate, majori minorive eorumdem mobilitate, ægrotorum constitutione oriunda non parum obstat, quo minus ampla et ex ipsa observationis fonte deducta illius morbi detur descriptio. Quare occurrentium symptomatum enumerationem præmittere consultum duximus, ubi de gravella (1) æger conqueritur, quo vocabulo intelligimus arenam sabulosam e pluribus particulis magnitudinem grani milii referentibus compositam aut calculos parvos in renibus latitantes, qui ex ipsis renibus cum urina promiscue in vesicam urinariam descendere, et ex hujus cavo simul cum humore illo excrementitio possunt excerni; unde deducitur gravellam a calculis renalibus, quorum in hujusce historiæ decursu sequitur descriptio, nisi magnitudine differre, et calculos parvos juxta mentem nostram eos dici, quorum volumen cum capacitate uretherum ita congruit, ut illorum e renibus solis naturæ viribus expellendorum adsit possibilitas.

§ III.

Symptomata gravellam concomitantia in idiopathica et symphatica commode dividuntur: quorum priora non raro sequenti ordine procedunt: ab aliquo, antequam morbus cognitus fuerit, tempore, urina paulo post ejus excretionem sedimentum furfuraceum deponit, æger conqueritur de constrictione et irritatione in regione lumbali obvio, cum ponderis et gravitatis sensu conjuncto, quæ ingrata sensatio cum levi musculorum lumbalium rheumatismo initio confunditur, præsertim si urina huc usque sine ullo dolore et tantummodo cum levi ardoris sensatione excernitur, qui vero morbus sæpius sine prægressis symptomatibus post motum corporis vehementiorem (quæ causa ut malum hominem subito invadat non ita requiritur) hocce modo in conspectum prodit: dolorem punctorium in lumbis, in utroque vel in alterutro tantum latere cito æger persentit, urina sæpius et parciori quantitate cum ardore et dolore emittitur, nunc limpida, nunc muco, sanguine, sabulo vel calculis mixta, interdum sine illorum excretione, nunc etiam concomitante sanguinis profluvio, cui ipsius urinæ suppressio vel saltem

(1) Vox scilicet barbara, adhuc lingua medica vulgo usitata.

decrementum subinde succedit; crebro etiam prædictis symptomatibus dolor jungitur acerbior a regione lumbali originem ducens, qui uretherum trajectum sequitur, et in perinæum vel vesicam urinariam terminatur.

§ IV.

Ad posteriora symptomata, symphatica scilicet, quorum longe major est numerus, ratione consensus renum cum reliquis et præcipue nobilioribus corporis partibus, non immerito referuntur, primo molesta ponderis et gravitatis in hypochondriis et ad scrobiculum cordis percepta sensatio, quæ sæpe ægrum diutius fatigare solet, priusquam natura morbi manifesta est, deinde sequentia, quorum plura cum præcedentibus conjuncta paroxysmum ab auctoribus sic dictum nephriticum constituere solent: horrores nempe, pulsus parvi et contracti, inquietudo, ructus, nausea, materiæ mucosæ et biliosæ vomitus, dolor (1) vel pruritus vehemens glandis, præsertim si calculus a rene descendens uretherem aut ab illius irritatione major quantitas muci secreta vesicam ejusque collum obsideat; testis correspondentis vel utrinsque retractio, in sexu vero sequiori sensus stuporis ad partem internam femoris; porro dolor ille a regione lumbali originem ducens, de quo ante, ad femur reni affecto respondens extenditur, aut quandoque ad pollicem pedis usque percipitur, alias loco doloris potius de insensibilitate et sensu stuporis conqueritur æger: super hæc dolores colici atrocissimi ægrum excrutiant; corpus de loco in locum continuo mutatur modo curvum, modo erectum, modo alia etiam figura incedere cogitur æger, qui summis anxietatibus et præcordiorum constrictionibus torquetur, sæpius doloribus, per quos provocatæ sunt, intolerabilioribus; abdomen tenditur et ad attactum dolorificum est, intestina flatibus distenduntur, qui ratione spasmi per anum educi nequeunt; alvus, cujus deponendi continuus adest conatus, pertinaciter supprimitur, eademque fæces vel flati renem premunt et dolorem augent; in aliis diarrhœa observatur continua aut » ex alvo mucus tenacissimus,

---

(1) Van Swieten comment. in H. Boerhave aphor. de cogn. et cur. morb., tom. V. pag. 295.

» albus et quasi lacteus aut pure remixtus sub præsenti colica expri-
» mitur » (1), aut per duos tresve dies post paroxysmum cum sanguine tinctus mucus ille albissimus aut ejusdem loco sat magna quantitas sanguinis puri evacuatur, ut in me ipse sum expertus.

§ V.

Paroxysmus nephriticus, qui, ratione durationis, variare potest adeo ut intra aliquot horas ad aliquot dies usque solummodo remittat vel intermittat, quo facto, prædicta symptomata sensim mitescunt, et lotium turbidum, mucosum, vel adhuc arenâ gravidum excerni solet: si perstat aut increscat vomitus æruginosus, quin imo cruentus redditur, et insomnia, singultus, sensus frigoris extremitatum, sudor faciei frigidus, insultus epileptici, præsertim si malum infantes vel subjecta irritabiliora aggrediatur, vel et convulsiones in conspectum produnt.

§ VI.

Hactenus de symptomatibus gravellam sic dictam manifestantibus, et quæ utilitatis causa in idiopathica et symphatica distincta fuerunt, nunc descriptionem aggrediendum illorum, quæ occurrere solent, existentibus calculis renalibus, tali magnitudine aut formatione gaudentibus, ut non amplius e renibus per uretheres ad vesicam urinariam deduci queant. Cæterum in eodem ordine et distinctione manebimus, eo magis, quod nunc conjuncta, ut plerumque in gravella fit, nunc seorsim vel distincta, alias nulla morbum ipsum directe monstrantia, sese manifestant, sicuti deinceps exemplis illustrare conabimur.

§ VII.

Symptomata idiopathica, quæ majoris molis calculum in renum substantia latitantem comitantur, interdum prorsus desunt, ut probant

(1) J. P. Frank, epit. de morb. hom. curand. vol. VI. pars. III. pag. 588.

exempla paragrapho decimo allata, et quæ alii scriptores circa hanc rem memoriæ prodiderunt, ita fatetur, exempli causa Lieutaud, pluries se vidisse calculos et arenulos renes refertos, ubi dum vivebant, nullum nephritidis insultum passi fuerant : etiam Morgagni, magnum calculum in renibus invenit, et antea numquam conquestus fuit æger de dolore renum : apud celeb. Swietenium (1) hæc scripta inveniuntur » malorum, » quæ toleraverat miser, causæ manifestæ inveniebantur in cadavere : » sed præter hæc reperiebantur alia, quorum nulla umquam fuerat sus- » picio et quæ non respondebant malis perpessis. Numquam enim urinæ » sabulum nephriticum deposuerant, numquam de nephriticis doloribus » conquestus fuerat, numquam urinæ suppressio adfuerat. Ren tamen » dexter mole ingens inveniebatur et cartilagineæ duritiei, ita ut diffi- » cile potuerit descindi, continebatque calculum ingentem ponderis sex » unciarum, qui totum pelvis cavum replebat non tantum et inferiori » apice ureterem ingrediebatur, sed et ramis quasi undique emissis, » figuræ admodum irregularis implebat reliquum statum." Vel ejusmodi symptomata adeo sunt tenuia, ut quod ad ista quidem attinet, ægri tolerabilem vitam vivant, contra aliis in casibus perpetuis vel post brevia intervalla doloribus incidentibus, qui minimis ex momentis, sive motu sive aliunde accrescunt vel renovantur, adeo excrutiantur, ut vitiis adauctis non amplius vitalis vita sit, et morti avide inhient, ut ea doloribus finem imponat.

§ VIII.

Eorum symptomatum discrimen vulgo oritur ex calculorum superficie et forma, atque ex renis renumve statu, quibus insunt; si calculi superficies glabra est, ejusque forma et situs ita comparatus est, ut liberum urinæ fluxum non impediat, ut cel. Swietenius (2) secundum Eustachium (3) refert, qui calculum oblongum vidit, in medio perforatum, qui hunc liberum descensum non impediebat; tum forte æger nulla de his idiopathicis symptomatibus animadvertit, vel saltem dolorem sentit hebetatum

(1) Van Swieten op. cit. pag. 272.
(2) Id. auct. op. cit. pag. 300.
(3) De renibus cap. 45.

et obtusum, cui adjungatur, ponderis quidam sensus ex male affecto rene profectus: si vero asperâ et angulosâ est superficie vel si ramosâ est formâ, vulgo accedunt vel perpetui vel intermissi dolores acuti. Porro ad hæc symptomata referuntur urinæ diminuta secretio, cui plerumque flocci mucosi, caruneulæ aut filamenta capillorum adinstar innatent, mietusque sanguineus post agitatum corpus per equitationem vel vecturam. » Si urina » sanguinea post ponderis vel obtusi doloris sensum admotum auctum, » una cum levi nausea excernatur, merito calculum renalem suspicari » licet." (1). Etiam istius excretio ægra est et subinde prorsus supprimitur vel renum spasmatico statu, vel si calculus ejusve aliqua eminentia aut ramus urethri obstat. Prima alteraque ad calcem hujusce dissertationis subjectarum observationum, argumento sint.

§ IX.

Si quis talem calculum in alterutro renum gerat, asperum nempe, tanti voluminis aut talis configurationis aut situm tam perversum, ut e renibus per uretheres ad vesicam urinariam duci nequeat, non dubitamus, quin plerumque post motum vehementiorem, equitationem, animi pathemata, spirituosorum abusum vel causas similes renem affectum irritare vel concutere valentes, sentiat augmentum doloris, nunc sensationem constrictionis substantiæ renalis referentis, quibus brevi sese adjungunt symptomata symphatica, inquietudo nempe, corporis jactatio, pulsus vividi et frequentes, nausea, vomitus, insomnia et omnia pleraque phænomena morbida consensualia, supra, ubi de gravella dictum fuit, obvia: quæ si adsint certissime paroxysmum a medicis sic dictum nephriticum constituunt; hunc quidem frequentiorem a calculis minoribus, asperis et mobilibus, quin sex rerum vulgo non naturalium dictarum abusus antecesserit, quam a majoribus, glabris et substantiæ renali impactis produci ex observatione patet et miser expertus sum: inde tamen non statuendum est, paroxysmum nephriticum semper a calculis minoribus produci, in quem errorem aliquis duci posset, dum

(1) Van Swieten op. cit. pag. 274.

legit apud cel. Swietenium (1): » Ingentes calculos mictus sanguineos » quidem producere, ad motum corporis aut vectionem in rheda, sed » non excitare paroxysmum nephriticum": Aut dum vidit apud Sydenhamum scriptum esse: (2) » Cum ratione judicabam, me calculum mole insigniorem in renum pelvi gestare, qui cum major esset, quam ut ex » pelvi dicta in uretherum ductus elabi posset, prædicta symptomata » (paroxysmum nephriticum concomitantia) non intulit". Aut dum Marcetum contendentem animadvertit (3), tales ægrotantes probabiliter tunc primum acerbissimis doloribus vexari, cum calculi e renibus ad vesicam transeunt, et minime dum gignantur. Nam hæc conclusio maximo detrimento illi ægro esse posset, qui a talibus medicis noxia semper indiscriminatim per irritantia diuretica educere conantibus tractatur. Quodsi talis tractandi methodus nonnumquam succedat, cum calculi minores sint, in aliis permultis casibus, et præcipue dum illi volumen majus offerunt, inflammationem ciere atque promovere poterunt, quam præcavere, et si adsit tollere, præcipuus cordati medici scopus esse debet. Contra doctrinam eam Swietenii, Sydenhami, Marceti supra allata verba objici possunt, et medicum quemvis inducere. Alio etiam loco clare constat, Sydenhamum stimulantia consideravisse, ut causas paroxysmum nephriticum inducere valentes, in illis, quibus calculus major in alterutro rene latet, dicentem sequentia (4): » Etenim, si calculus renibus inclusus ita magnæ molis » sit, ut per uretherum ductus in vesicam propelli nequeat, istæ aquæ » (minerales) paroxysmum ut plurimum excitant": quod cum theoria modo allata congruit.

§ X.

Antequam huic dissertationis parti finem imponam, sequuntur descripti morbi tria exempla, præter quæ adhuc multa alia apud scriptores me-

---

(1) Opus cit. pag. 282. (2) Opera medica. Ed. Genevæ, 1736. tom. I. pag. 442.
(3) Proeve eener scheikundige beschryving der steenziekten, vert. door G. J. Pool, 1821. bl. 8.
(4) Opus cit. pag. 466.

dicos inveniuntur, sed hæc mihi sufficere videntur, ut probetur calculos vitæ tempore in renibus latere posse sine manifestatione symptomatum morbum ipsum directe monstrantium, quique solummodo symphaticis, plus minusve gravioribus, sed talibus stipabantur, per quæ eorum existentia suspicari non licuit, ita ut oculos medicorum etiam acutissimos fefellerint: post obitum vero, instituta cadaverum autopsia in apricum prodierunt. Primum horum celeberrimus Rega nobis relinquit, hominis per longum tempus dolore genu continuo laborantis, post mortem in rene, ubi numquam dolorem sentiebat, magnus calculus inveniebatur. Alterum accepi a venerando præceptore, Clar. Professore Van Rotterdam, qui nobiscum in prælectionibus suis communicavit, se hominem novisse in cujus cadavere magnus calculus renalis inventus fuisset, quique numquam antea, nisi solam sibi doluisse vesicam fassus esset. Tertium non minus relatu dignum ex tertia nobis patebit observatione.

§ XI.

DIAGNOSIS.

Certis dignoscere signis hancce malam valetudinem, sive diagnosin edere multo est difficillimum, quod inde quidem manifestum, quod vel peritissimi medici non solum in aliis, sed et in se erraverunt: exemplo sint Galenus, Sydenhamus, Boerhavius, aliique. Nec mirum. Sæpe enim accidit, ut multa, quin et præcipua symptomata supra commemorata, unde adesse morbum colligere est, deficiant, et talia tantummodo agnoscantur, quæ et per alios morbos creari possunt. Quod quidem etiamsi locum habeat, sæpe tamen alias morbus iste sabulo vel calculis emittendis clare designatur. Qua re fit, ut et cætera symptomata, nos dubios esse, non sinant. Quamdiu vero ista emissio non appareat, de genere morbi adhuc hæsitandum est, idque tantum, cæteris symptomatibus junctis diligenterque collatis, assequi possumus, ut adesse morbum aliquantum suspicemur. Quam suspicionem confirmabunt et ægroti natura, causæ, quæ morbum excitarunt, et absentia symptomatum confinium morborum.

Inter illas ægritudines, quarum faciem præ se subinde fert, et cum quibus confundi potest Lithiasis Renalis, sequentes annotare oportet, scilicet: rheumatismum musculorum lumbalium; ischiadem nervosam; colicas menstruas; molimina hæmorrhoïdalia; dolores intestinum colum per essentiam afficientes; nephritidem veram; psoïtidem; passionem hystericam fœminarum; calculum vesicalem; concretionem illam, quæ in urinâ arthritico-rheumaticorum observatur: squirrum aliosque renum morbos.

§ XII.

Distinguitur a rheumatismo musculorum lumbalium 1° indole doloris, qui magis superficialis est, quique augetur per pressionem et imprimis dum truncus flectatur vel erigatur: » pete ab ægro, an, dum in terram » incurvatur et exinde erigatur, cum difficultate erigitur, adeo ut per » medium quasi scindi videatur; si hæc adsint, pro certo habeto, dolo- » rem illum non esse nephriticum, sed rheumaticum" (1). 2° Febre continua, quæ scenam aperire solet, et rarius in calculo renali occurrit. 3° Vomitu, qui non in rheumatismo observatur, quique a Sydenhamo pro signo pathognomico habetur. 4° Vitiis urinæ excretionis, quæ minime in rheumatismo adsunt.

§ XIII.

Ab ischiade nervosa 1° sede doloris, qui quidem ad lumbos persentitur, sed in alterutra coxa et retro trochanterem majorem pertinacius hæret, et ab his imprimis superne ad os sacrum, et inferne ad suras propagatur, latus externum femoris sequens, quin imo ad maleolum externum usque extenditur, id est ad omnes partes, quibus nervus ischiaticus magnus ramos suos tradit. 2° Testiculi retractione et urinæ difficultate, quæ in ischiatica affectione non observantur. 3° Motu, qui morbum ipsum non auget, dum in Lithiasi contrarium obtinetur. 4° Denique, ratione symptomatum, quæ ad vesperam semper intenduntur, in affectione calculosa vero eorumdem recursus nullas definitas periodos agnoscit.

(1) G. Baglivii opera omnia medico-practica. Ed. Lugd.-Bat., 1736. pag. 116.

§ XIV.

A colicis doloribus, quæ jam erumpentibus vel instantibus mensibus, sexum amabilem affligunt. 1° Aetate ipsa fœminarum, qua catamenia sese manifestare solent, probe observato discrimine, quod circa eam functionem in certis regionibus ac familiis obtinet. 2° Tempore, quo menses jam instant, quæ debito tempore apparuere, nec una suspicio moveri potest de una vel altera causa, quæ prægressa fuit, fluxum menstruum disturbare valens. 3° Ratione doloris, qui in regione lumbali quidem percipitur, sed tantum circa tempus, quo menstrua fluere solent, quique ad regionem umbilicalem vel ad pubem tendit, nec trajectum uretherum sequitur; præterea comitatur dolore capitis, respiratione difficiliori, lassitudine, sensu gravitatis ad pubem, etc. 4° Per menstruorum apparitionem, qua omnia in statum naturalem restituuntur. De præcedentibus liquet, morbum utrumque a se invicem facile distingui.

§ XV.

Interstinguitur a moliminibus hæmorrhoïdalibus: 1° quia hi naturæ conatus imprimis sese manifestant symptomatibus ad anum apparentibus, et dolore in regione lumbali quidem percepto, sed hinc juxta os sacrum, tractum intestini recti sequente, cum frequenti desidendi stimulo conjuncto. 2° Ratione augmenti illius doloris sub et post alvi excretionem. 3° Ratione sanguinis, qua mixtæ fæces deponuntur, idque nec nauseâ vel vomitu vel urinæ excretione difficili, ut in Lithiasi obvia fit, jungatur. 4° Sensu ponderis ad scrobiculum cordis cum leviori spirandi difficultate, vertiginibus vel somnolentia conjuncta, quæ quidem signa, mensium adinstar periodice redeunt, imprimis in subjectis hæmorrhoïdariis. Hæc omnia sane sese non offerunt in affectione calculosa renum, vel saltem modo prorsus diverso sese manifestant.

§ XVI.

Dolores, intestinum colum per essentiam afficientes, a nephriticis

initio difficilius distinguuntur; accurato tamen examine sequentium signorum, hi duo affectus satis dilucide invicem distingui possunt.

1° In colica dolores magis vagi sunt, modo sursum, modo deorsum tendentes, et ab hypochondrio dextro vel sinistro originem ducentes, cinguli ad instar, tractum coli transversi sequuntur: in affectione calculosa renum profundiores et ad lumbos magis fixi observantur. 2° In colica ægri sese facilius erigunt, dum in Lithiasi Renali, sese non sine molestia erigere possunt, utque plurimum incurvati sint. 3° Urina sæpe est cruenta, quæ quando advenit pro uno ex præcipuis signis est habenda, quibus dolor nephriticus a colica distinguitur. 4° In doloribus colicis plerumque magnum subsequitur levamen post evacuationem in intestinis contentorum, quibus omnibus cognitio causarum antecedentium est annumeranda.

§ XVII.

A nephritide vera distinguitur: 1° ratione typi aut decursus morbi, qui acute et uno fere tenore ad finem usque procedit: Lithiasis Renalis e contra incedit et nunc intermittit, nunc remittit, alias exacerbatur. 2° Absentiâ febris acutæ continuæ, quæ, si umquam in Lithiasi Renali occurrat, minus intensa animadvertatur. 3° Indole doloris, qui in nephritide vera magis continuus et minus mordax est. 4° Ratione urinæ, quæ in nephritide vera parca copiâ et flammeo colore vel nulla excernitur, in Lithiasi Renali vero dolorifica est hujus secreti emissio et stipatur tenesmo, pruritu in glande penis, retractione testiculorum, stupore femoris reliquisque signis, quæ in calculo renali adsunt, in nephritide vero absunt.

§ XVIII.

A psoïtide: 1° ratione majoris difficultatis lumbos movendi femurque respondens flectendi vel elevandi vel extrorsum vertendi, quæ quidem torminibus ingentibus conjungitur. Quum vero illa in Lithiasi occurrat, multo minor est, atque potius in toto artu reni affecto respondente, sensus stuporis, quamquidem doloris, observatur. 2° In priori morbo incessus fere omnino impossibilis est, et eo acutissimi evadunt dolores, qui et

perstantiores sunt, neque tam manifeste remittunt, ut in Lithiasi Renali. 3° Læsione functionum renum: in Lithiasi Renali urinæ excretio nunc multo imminuta, nunc vero suppressa est, in psoïtide numquam supprimitur.

§ XIX.

A passione hysterica fœminarum nonnunquam difficile distinguitur, ea ratione, quia in utroque casu, morbus accessus hystericos et nephriticos quidem mentitur: tunc medicus diu anxius manet circa diagnosin, quæ circa calculum renalem stabiliri nequit, nisi e constitutione heriditaria ægri, expulsione corporis heterogenii, et tandem urinæ ipsius qualitatibus manifestis. Idcirco audiamus summi Sydenhami verba: (1) » Quandoque hoc malum in alterutrum ex renibus incursans, atro- » cissimo, quem illic parit dolore, paroxysmum nephriticum omnino » mentitur, idque non solum doloris genere locoque quo sævit, sed et » adscitis vomitionibus immanioribus, tum etiam nonnumquam ex eo, » quod dolor per ureterum ductus propagetur. Ita ut ægre admodum » dignosci queat, utrum hæc symptomata ab incluso calculo, an vero » ab affectu aliquo hysterico enascantur, nisi forte casus aliquis acerbior » ægræ animum paulo antequam corriperetur, discrucians aut materiæ » viridis per vomitum rejectio symptomata ista affectioni potius hyste- » ricæ quam calculosæ tribuenda esse docuerint. Sed neque vesica ab » hoc pseudosymptomate atque ementito affectu immunis est: cum non » tantum ipsa ab eo doleat, sed et urina supprimatur, perinde ac si » calculus eam obstrueret, qui tamen nullus est. Rarissime autem cer- » nitur postrema hæc species vesicam attingens, quæ vero renum cal- » culum imitatur, non ita raro. Utraque eas solet invadere fœminas, » quarum vires repetitis sæpe paroxysmis hystericis jam fractæ sunt, et » sanitas corporis detrita."

§ XX.

A calculo vesicali, 1° ratione symptomatum, quorum caterva ad collum

(1) Op. cit. pag. 258.

vesicæ atque pubem observatur. Et licet quædam horum in Lithiasi Renali etiam subinde appareant, non obstat tamen, quo minus plerumque in conspectum prodeant, jam omnia signa nephralgiæ calculosæ antecessere, et eatenus tamquam affectiones secundariæ sint adspiciendæ. 2° Catheteris in vesicam urinariam introductione, cujus in corpus durum et lapideum illisus, diagnosin morbi admodum certam stabilit. 3° Urinæ qualitate, quæ in Lithiasi Renali plerumque furfuracea observatur, illo sedimento mucoso, calculo vesicali laborantium urinæ proprio carente.

§ XXI.

A concretione illa, quæ in urinis arthritico-rheumaticorum sæpe observatur, et hominibus pro gravella aliquando imponitur : 1° in hac statim post urinæ missionem in consistentia solida fundum petunt, in illam aliquamdiu post emissam urinam existunt, ubi ea frigore contracta est et ollæ adhærent. 2° Per angulosa cristalla, quæ in gravella vulgo non repiuntur(1).

§ XXII.

Quoad squirrum renum satis raro obviam distinctio fere est impossibilis, quia hactenus neque observatio neque experientia symptomata obtulere, quibus ejus existentia indicatur et tantummodo, cadaverum lustratione post mortem facta, innotuerit, inde fit, ut jam dictum est, diagnosin omnino impossibilem evadere : idem fere dicendum est de hydrope saccato et vermibus horum organorum necnon de eorum ulceris, si emissio puris cum urina impediatur.

§ XXIII.

ÆTIOLOGIA.

Causarum hunc morbum producentium investigatio nobis res ardua est et difficultate plena, parumque hortativa, dum celeberrimi Frankii,

(1) Zoonomie par Darwin, traduction du Prof. Kluyskens, vol. 3. p. 68.

verba circa hoc objectum loquentis consideramus, ait enim (1): » terrent » nos vestigia illorum, qui ævo suo in causas calculorum inquirendo » pro omni laboris peracti præmio, nisi jam filiorum saltem nepotum » illo vel commiserationem vel risum moverunt." Præterea tot tamque diversæ auctorum sententiæ circa causas Lithiasin Renalem producere valentes, numerantur et afferuntur, ut sæpius ipsi auctores sibi mutuo contradicant, et nonnumquam longissime inter se discedant. Ut ut est, etiamsi quævis doctrina a scriptoribus tradita, ad ortum calculi in renibus explicandum, parumper claudicet, observatione tamen eo perventum est, ut pateret, qui homines præ cæteris huic essent obnoxii, et quæ circumstantiæ subinde aliquantum ad hocce malum procreandum valeant; illud tantum constat, quo plures ejusmodi causæ concurrunt, eo citius morbum existere; concursum vero et istorum modificationem explicare, quæ ad statuendum morbum requiruntur, ad ea pertinet, quæ humanum ingenium hucusque fugiunt. Idcirco utile duximus, investigationi causæ proximæ non diutius inhærere, eo magis, quia calculorum renalium genesis semper cum pathologico organorum, urinæ secretioni dicatorum, statu difficulter verbis exprimendo conjuncta sit.

Causas igitur remotas tantummodo enumerabimus, quæ distinguemus in prædisponentes et efficientes, potius confusionis vitandæ causâ, quam quod illæ tali modo semper sint spectandæ.

§ XXIV.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Ætatem infantilem et senilem morbis calculosis maxime obnoxias esse, notant auctores: infantes vero frequentius Lithiasi Vesicali, quam Renali afficiuntur, cui senes magis sunt obnoxii. Hinc jocosus noster Erasmus

(1) Op. cit. pag. 599.

calculis vexatus sequentia dixit (1): » illud mirum videri potest, quum » fœminæ sterilescunt ætate, me senectus fecit fœcundiorem; nam indies » crebrius parturio." Nulli sexui parcit ille morbus: nobilior tamen frequentius quam amabilis illum patitur. Inter varias hominum constitutiones, quæ temperamenta audiunt, lymphatica inprimis ad Lithiasin prædisponit. Ita et obesi homines præ gracilioribus hocce morbo laborant. Juncker annotat (2): » graciliores rarissime a calculo infestari, nisi » vel hæreditaria dispositio vel causa externa vel perversa empyrica aliorum » adfectuum tractatio vel evacuationum sanguinis adsuetarum suppressio » aut neglectio accedat." Arthritici, podagrici, rheumatici et hæmorrhoïdarii sæpius hanc ægritudinem contrahunt, quod adeo verum est, ut hicce morbus cum arthritide vel hæmorrhoïdibus sæpius alternet; id est, observatum fuit, podagricos a paroxysmo jam liberos, vel hæmorrhoïdarios, sanguinis profluvio suppresso, statim Lithiasi Renali laborare: paroxysmo vero redeunte vel sanguinis fluxu restituto, simul omnia morbi alternantis symptomata evanescere. Hisce addi possunt scrophulosi, litterati, vitæ sedentariæ dediti, illique, qui vitio renum vel congestionibus mucosis abdominis, vel viarum uropoeticarum laborant. Etiam ii, quorum urina creberrime et maximam illius materiæ calculosæ copiam deponit, paribus reliquis, præ cæteris, maxime huic morbo expositi esse solent. Per tempus meæ ægrotationis, expertus sum, vitrum illud, in quod urinam emiseram, viginti quatuor horis post, vix tollenda fuisse indutum crusta.

§ XXV.

Quamquam difficile est, quantum nostra quidem scientia hodie assequi possimus, quatenus liberi eo, quo laborarunt morbo parentes, affecti esse possint, constituere; tamen nonnullis familiis proprium esse Lithiasin Renalem experientia docemur, eosque, qui vel ejusmodi parentibus vel etiam iis, qui arthritide laborarunt, prognati sint, ad huncce morbum maxime esse proclives; sed aliunde observamus eorum numerum, qui isto sunt affecti modo, quorum parentes plane ignorabant illam ægritu-

(1) Hoffmanni, med. syst. tom. 4. p. 2. pag. 365. Et Murray, opusc. select. pag. 6.
(2) Conspectus medicinæ theoretico-practicæ, pag 369.

dinem, cæteros superare. Ita non certo definire possumus, quousque hæreditas in propagando hocce morbo procedat.

§ XXVI.

Omnes in eo consentiunt scriptores, Lithiasin in calidioribus regionibus fere ignotam esse, in Tropicis, in Indiis, Asiâ meridionali, Turcia, Ægypto, etc. Hinc suspicio enasci posset, aliquam intercedere necessitudinem statui functionum cutis cum minori vel majori calculorum copia, idque eo magis, quum sciamus, universe in temperatis et simul humidis terris locisque, ubi eo inservire videntur renes, ut minus gnava cutis organa adjuvent, præsertim reperiri morbos calculosos, et hic forte valere posset placitum »*plus un organe ou un systéme d'organe s'exerce, plus il est exposé aux maladies*" (1); at etiam in frigidioribus plagis ejusmodi malum rarius observatur. Volunt quoque nonnulli auctores (2), ubi magna est corporis transpiratio, urinâ contineri exiguum acidi urici, porro urinam mane emissam minus acidi complecti, quam interdiu. Quæ cum ita sint, hac in re præcipua quædam causa deprehendi posset, cur æstuosæ regiones calculum minus noverint. Contra vero ab aliis medicis (3) accepta est opinio urinam majorem copiam substantiæ calculosæ continere, si augeatur transpiratio et exinde posse facilius creari, quin et æstate magis, quam hyeme magnitudine crescere calculum. Magendie (4) etiam majores transpirationes gravellæ causis annumerat quæritque num in hac lite derimenda probe distinctum sit inter id, quod ad clyma pertinet et illud, quod ad vitæ rationem spectat.

§ XXVII.

CAUSÆ EFFICIENTES.

Ad causas efficientes, quæ non minus numerosæ et diversissimæ sunt,

---

(1) Richerand, élém. de physiol. vol. I. pag. 287. Ed. 1817. (2) Marcet. op. cit. pag. 116. Wilson, on the cause of urinary gravel. 1790. Henry, dissert. de acid. urico. 1807.
(3) Hales. Haem. on the calc. exp. VIII. pag. 226, et Van Swieten, op. cit. pag. 239. Chopart, traité des maladies des voïes urin., vol. I. pag. 241, éd. 1821. Darwin op cit. pag. 72.
(4) Op. cit. pag. 28 et 32.

quam prædisponentes, non immerito primo referri merentur cibi et potus. Prioribus annumerantur alimenta crassa fœculenta, acria et austera; victus lauti excessus, substantiarum animalium ut carnium sale fumoque induratarum abusus. Immortalis Camperus jam observavit, postquam diæta animalis maxime in vegetabilem transiisset, etiam calculosos morbos decrevisse. Quin et Magendie animalem diætam præcipuam esse causam Lithiasis putat, iis casibus, quibus ex acido urico consistit, quia per istam diætam ejusmodi acidum magna copia in viis urinariis procescit, ut liquet ex ejus observationibus. Marcetius etiam contendit (1), diligentissime periculo facto, constare plus acidi urici secerni, si unice alimentum de animali victu porrigatur. Cum igitur reputamus, calculos in renibus sæpe numero, vel potius fere semper initio ex isto acido urico conflatos esse, inficiari non possumus, diætam animalem ad producendum vel sustentandum huncce morbum multum posse conferre. Sin vero consideramus, nonnullos homines unice fere diætam animalem sequi, valde modice bibere et tamen hujus morbi immunes esse; contra inveniri regiones, ubi præter olera frugesque nihil quidquam consumatur, et ubi nihilominus hicce morbus latissime extenditur, cujus rei Magendie exemplum tradit, adjungens: dolendum esse in calculorum naturam non fuisse inquisitum; quum ob oculos ponimus carnivora animalia, ut canes, feles et cætera minus calculis obnoxios esse, quam equos et boves, qui solis vegetabilibus pascuntur; tandem quum novis ex experimentis et observatis chemicis constet, inveniri materiem calculosam, ubi illud acidum plane non appareat vel tantummodo aliqua ex parte et adjunctis multis aliis substantiis, tunc coacti sumus juxta Marcetii sententiam statuere, quod exstent causæ peculiares, quarum effectus impossibile est negare, sed ut eas explicemus, eo parvenire nobis nondum licuerit.

Ad potus spectant non sufficiens aquosorum usus; spirituosorum et liquorum fermentatorum, præcipue vini recentis acidi atque cerevisiæ non defœcatæ usus immoderatior. Darwinus sic ait (1): *Un grand nombre de ceux, qui boivent beaucoup de liqueurs spiritueuses meurent de cette maladie: quelques-uns en guérissent en rendant*

---

(1) Op. cit. pag. 115.

une grande quantité de mucus blanc semblable à de l'eau mêlée de chaux et d'autres en évacuant des graviers ou de petits calculs. Hisce addere licet acidorum abusus, circa quæ Egan ita dicit (1): *Il résulte de ces expériences, que les acides de toutes les espèces sont nuisibles et donnent lieu à la formation des affections calculeuses et graveleuses et déterminent la séparation et la cristallisation de l'acide lithique contenu dans l'urine au dedans du corps; sans cependant prétendre nier l'existence de quelques autres causes inhérentes à l'économie animale elle-même, qui peuvent produire des effets analogues, comme je l'ai déjà observé.* Hæcce verba ita asseruit cl. Sprengelius (2): »Potuum acidorum abusum accusandum esse, olim a me in dubio positum est: jam vero, Eganii inprimis argumentis persuasus, libenter » testor." Porro, hic non omittenda est quies, nam observatione constat diuturniorem in dorso vel alterutro latere decubitum, formationi acidi urici præsertim ansam dedisse; quod eo magis veritati est consentaneum, dum corpus obesum atque repletum est. Cel. Swietenius (3) exemplum refert, alicujusdam viri, qui dum femoris fractura curabatur, gravellâ opprimi cœpit, qua postea laborans vitam degit. Hisce tandem causis adscribuntur exercitium corporis immodicum, renum concussus vehementior, vectio in rheda vel equitatio diuturna aut velox; ictus regioni lumbali illati aut lapsus vel contusio; ingens tristitia, terror, iracundia et alia vehementiora animi pathemata, somnus nimis protractus, vigiliæ, excretiones serosæ nimiæ, immoderatum veneris exercitium, evacuationum sanguinearum naturalium vel præternaturalium suppressio vel cessatio. Hoffmannus (4) refert » sese non semel observasse fœmineum sexum 50 circiter anno mensibus cessantibus doloribus ex calculo fieri obnoxium; » itidem viros, quibus consueti hæmorrhoïdum fluxus aut narium hæmorrhagiæ sistunt, calculosis affectionibus tentari." Sic Juncker loquitur (5) » hæmorrhoïdarii si hunc fluxum sæpe diu et copiose habuerunt, » postea autem illius suppressionem incurrant valde præcipites sunt in » mictum cruentum, nephritidem et calculum renalem, vel quibus

(1) Annales de littérature médicale étrangère, rédigée par le Prof. Kluyskens, vol. 7. pag. 300.
(2) Institut. med. tom. 3. pag. 207.
(3) Op. cit. pag. 248.
(4) De calculo renali § VIII.
(5) Loco cit.

» hæmorrhoïdes parce et impedite succedunt." Licet supra dictæ causæ efficientes effectus suos raro sortiuntur, nisi ubi peculiaris prædispositio accesserit, tamen inter eas quædam tam valide agere possunt, ut si illæ simul vel iteratæ obtinent, istam prædispositionem constituunt morbique evolutioni solæ sufficiunt.

§ XXVIII.

PROGNOSIS.

Nullus certe morbus tam funestos eventus prænuntiat, ægrum crudelius afficit, difficiliusque tollitur, quam Lithiasis Renalis. Et si ad partem affectam, ejusque consensum cum ventriculo, cum intestinis reliquisque nobilioribus partibus, ad functionum læsam attendas; si calculosos, morbis convulsivis aut hecticis consumptionibus, tam a doloribus perpetuis, quam exitu morbi in supurationem, plurimum perire, agnoscas; nullus dubito, quin supra dictorum veritati adsensum dederis. Quamquam ergo hæc ægritudo in universum perspecta, ut ut gravissima et periculosissima est habenda, tamen non semper par discrimen subesse constat, ejusque prognosis deducitur ab ejus origine et ægri constitutione; ab ætate et sexu; a symptomatibus concomittantibus eorumque duratione nec non variâ affinitate, quam aliis cum morbis offert; denique a calculorum volumine eorumque configuratione.

§ XXIX.

Si morbus causam hæreditariam accuset, tunc, ut omnia vitia hæreditaria, tam medecinam prophylaxeos, quam illam curationis adhibitam plerumque respuit: » facilius enim est uterum a pariendo prohibere, quam » calculosam hæreditariam dispositionem fœcundam, sterilem reddere" (1). Si vero sit acquisitus, et vitium organicum renum nondum suspicari liceat, tunc spes illius tollendi aliquando adfulget, præcipue dum subjectum per se constitutionem sanam vegetamque monstrat: probabile enim est causis ipsum producentibus ablatis, morbum etiam auferri posse ejusque

(1) Aretæus, lib. 2. cap. 3.

sequelas demi. Hujus morbi prognosis e contra non adeo faustus est, quum organa digestioni dicata jam una aliave causa talem acquisiverunt debilitatem, ut regimen et remedia ad curationem absolute requisita non amplius ea de re institui queant, aut quum vitium scrophulosum altas radices egerit. Ex observatione enim constat, Lithiasin ab illo nonnunquam induci, etiam in adultis. Idcirco rarissime curam admittit et propter duplicem rationem sæpius est incurabilis. Dolores vero in constitutionibus lymphaticis multo mitiora observantur, quam in sanguineis irritabilioribusque, ubi illi ad sævissimos cruciatus excedunt.

§ XXX.

Sexus sequior minus ob solida laxiora, quam nobilior incurrit periculum. Gravidæ vero, tempore gestationis magis obnoxiæ sunt doloribus nephriticis, et maxime tunc perriclitantur ob metum abortûs. Irritati namque renes uterum quoque in consensum trahunt. Apud Bonetum (1) legitur de matronâ a Platero descripta, quæ quatuordecies uterum gestans, toties ante tempus pariebat; eadem multis annis gravissimis renum doloribus obnoxia fuerat.

§ XXXI.

Infantia et adolescentia potius, quam adulto statu ille morbus curatur, quia provectiori ætate talis est urinæ ipsius compositio, quæ acido urico imprimis abundat, quod morbi evolutioni non parum favet: senectute vero difficillime curatur vel potius insanabilis est, quod a Divo sene his verbis confirmatur (2): » renum et vesicæ dolores, difficulter sanantur » in senibus." Et alio loco (3): » renum affectiones non vidi sanatas » supra quinquagesimum annum." Cæterum, si tales sunt calculi, ut tolli nequeant vel eximi, ægrumque doloribus crudelissimis sæpius excruciant; tunc senes et infantes brevi e morbo pereunt, dum contra adulti diutius morbum ferunt, vitam miserrimam trahentes.

---

(1) Sepulchr. sect. 22. obs. 4.
(2) Aphorism. 6. sect. 6.
(2) Epid. lib. VI. sect. VIII.

§ XXXII.

Irritationis symptomata periculo plena sunt, nam nisi brevi temporis spatio remediis convenientibus adhibitis sedentur, observatione docuit, inflammationem acutam ejusque frequentissimam sequelam supurationem succedere et ægrum cito vel febre hectica exhaustum perire. Etiam mortem subitaneam aliquando infert Lithiasis Renalis, dum urinæ excretio pertinaciter supprimitur; dum insomnium, delirium, diarrhϾ, vomitus continui, et hæmorrhagiæ virium dejectiones producunt, aut dum propter atroces dolores convulsiones sese manifestant. Juncker ita inquit (1): » quo copiosius in talibus constitutionibus calculosis, sanguis per mictum sanguineum excernitur, tanto minor vel » dolor vel calculi proventus aut concursus deprehenditur". Notandum tamen, hocce sanguinis profluvium periculosissimum esse, quia difficulter sistitur, et idcirco sæpius intra paucas horas ægrum præcipitat. Vomitus calculorum exitui promovendo utilis esse reperitur. Si vero sæpius et diu adsit, aut ventriculi inflammatio inducitur, aut ejus tonus dejicitur, inde chymyficatio impeditur, cui frequenter sequitur marasmus. Jam supra monuimus, summam dari affinitatem calculum inter et hæmorrhoïdes nec non arthritidem, adeo ut sæpe morbi ii alternent: in hoc supposito, licet nihil boni juxta morbi curationem sit exspectandum; tamen levari potest, dum sanguinis profluvium ex venis hæmorrhoïdalibus procedit, vel dum paroxysmus arthriticus ingruit, et eatenus minus malum erit, cum morbus articulos obsideat, quam sedem suam in alterutro renum defigens, calculos renales producit.

§ XXXIII.

Si substantia illa heterogenea adspectum arenæ præ se fert aut si calculi parvi adsint, prognosis multo minus funesta est, quam quum illi majore volumine gaudent. Horum enim expulsio e renibus fieri nequit: illi vero sæpius satis feliciter expellantur. Non omnibus tamen calculosis hoc beneficium contingit, quia nonnunquam unus vel alter horum calculorum in

(1) L. c.

alterutro renum vel in vesicæ cavo moretur. Hac moratione aut calculo renali majori vel vesicali ansa datur. Hujus retenti calculi maxima est conjectura, si quis doloribus nephriticis obnoxius, in fine paroxysmorum calculos excernere solitus sit, nunc vero nullum excernat, ut antea solebat, et post aliquod tempus urinæ difficultate cæterisque symptomatibus illis morbis propriis urgeri incipiat. Quod ad transitum illorum parvorum calculorum notandum est, eum per uretheres fere semper stipari symptomatibus curas moventibus, et illos majores excernendi dolores ægrotantibus parere, quam magnos, qui »absque multa molestia diu in renibus » hærere possunt, dum parvi si loco moventur, summas excitant tur- » bas" (1): sed et »quo turbæ illæ majores sint, eo major spes est citæ » liberationis" (2). Non desunt tamen exempla hominum, quorum viæ urinariæ parum irritabantur per illorum transitum. Swietenius (3) testatur, se hominem novisse, qui tringinta adeo imo plures in mense excernebat calculos, quorum plurium phaseoli minoris magnitudinem æquabant, atque ea cum facilitate ut ne ipse quidem, utpote spirituosis maxime indulgens, sanitati consulendi causa a solita vitæ norma recedere, operæ pretium duxerit. Haud ab similem mihi suppeditavit casum vir quidam insignis, qui, vigente ætate paroxysmos nephriticos magno numero perpessus, calculos hucusque sat voluminosos nescius emittit, neque illorum præsentiæ nisi ex urinæ intuitu evadit certior.

A diversa calculorum configuratione etiam varia deducitur prognosis. Quo angulosiores et asperiores superficies calculi offerunt, eo intensiora et periculosiora generatim observantur symptomata. Dolores immanes, hæmorrhagiæ, inflammationes ejusque sequelæ a levissima causa, talibus præsentibus calculis, sæpius oriuntur.

§ XXXIV.

CURA.

In ejusmodi morbo, qualis est Lithiasis Renalis, cujus causæ et latent sæpe et variæ reperiuntur, quique tot modificationibus subjectus est,

(1) Van Swieten, op. cit. pag. 274. (2) Id. auct. pag. 282. (3) Ibid. pag. 247.

vix fieri potest, ut certæ curationis regulæ tradantur, quæ omni in casu bene consulant ægro. Quum præterea hocce opusculum angustis terminis circumscriptum sit, non meum est omnes curandi methodos vel remedia indicare, quæ in diversis calculorum speciebus hocce tempore ab aliquibus auctoribus laudantur, eo magis quod in hac dissertatione sermo non fuerit de variis illis calculorum principiis; multo minus omnia ea, quæ ab antiquissimis temporibus ad nostram usque memoriam certissima et hujus morbi curationi utilissima, communi lithontripticorum denominatione, quamvis isto nomine vix aliquo in numero putari possunt, tradita sunt: illud etiam parum utilitatis haberet et multum tædii crearet: ea de re mihi visum est, ad ea sola me convertere, quæ vel durante paroxysmo, vel extra eum plerumque in auxilium sunt vocanda, quæque vel gravioribus confirmantur causis, ut eorum usus valere possit, vel quæ salubri sæpius commendantur eventu.

§ XXXV.

Cura, quæ est stante paroxysmo, vel palliativa, quam præmittimus, quia et primum et unice sæpius usu venit, nec non vulgo maxime urget, id consilii habet, ut, quantum fieri potest, dolores leniamus; periculum, quod præsentia comitatur symptomata, avertamus, eaque tali modo gubernemus, ut simul majori consilio, postea radicalis curæ parandæ, satisfaciat; quod nempe in excretione consistit vel partis, vel totius alienæ materiæ, ex qua ista symptomata oriebantur. Maxime id agitur, ut spasticus tam renum, quam totius corporis status, sine quo ista excretio rare obtinet, diminuatur, quia inde calculorum transitus prohibetur, vel si isti angulosi sunt, viæ læduntur, aut si perstat, dolores augentur, et inflammatio maxime in subjectis sanguineis provenit. Hocce propositum ut assequamur, usui veniunt cum per os assumpta, tum extus applicata remedia. Ad priora pertinent oleosa unguinosa, ut oleum amygdalarum recenter expressum, ejusmodi emulsiones in connubio gummi arabici, decocta demulcentia et relaxantia ex hordeo, avenâ, seminibus lini, radicibus althææ, saleb, etc. Hæcce remedia universe laudata, interdum non plane, vel nonnisi magna cum difficultate ab ægris assumi possunt

propter adjunctos vomitus vel vomendi conatus. Hicce vomitus si prodesse videri posset ad calculorum excretionem juvandam, curæ sit, ut efficiatur, vel augeatur abundantiore usu dictorum decoctorum, vel exemplo Boerhavii et Sydenhami ope aquæ tepidæ, aut secundum Swietenium decocto hordei cum melle, quæ ad vomitum suadent. Piso etiam vomendi utilitatem in se ipso expertus est, quoniam ea ratione calculus e renibus in vesicam urinariam traductus est cum levamine. Si vero æger dictis remediis plane uti nequit, vel ubi vomitus cum acerrimo dolore, aliisque vehementioribus symptomatibus conjungitur, potius usus potuum cum citri, pomorum aurantiorum, vel ribesiorum succo auxilium affert.

§ XXXVI.

Hoc in morbo fere unicum remedium adest opium, quo vehementia symptomata sedari possunt. Quæ si, ut dolores acerbissimi, vigiliæ, perpetuo et talem in modum comitantur ægrum, ut eximie attenuantur vires, vel et per ea in discrimen vita vocetur, semper præmissis præmittendis, ad illius usum confugiendum est. Hortius (1) historiam alicujus ægri refert, cui, cum adesse salutis spem negarent medici, hoc sumpto remedio non tantum calculis liberatus est, sed et postea ad pristinam valetudinem rediit. Quin etiam Van Swieten (2) sæpius sese vidisse refert, sumpto opio, calculos fuisse emissos. Tralles tandem contendit, opium unicum remedium exstare, unde senes nephritici aliquot levamen sperare possunt. Si urgent symptomata, ut prohibeantur vomitus, vel et eorum vehementia minuatur, tunc coacti sumus ad illud remedium confugere vel solum, vel adjuncta mixtura riveriana datum, simulac de eorum ortu futuro conjicere est. Etsi nonnumquam experirer, non opus esse, ut in ventriculo diu resideret opium ad aliquam afferendam tranquillitatem, tamen ejus vis multo est minor, vel pusilla, si forte jam adsunt vomitus. Hac in re ejus usus per clysmata præstat. Darwin inquit: (3) *Quand la douleur et le vomissement sont très-intenses, quatre-vingt ou cent gouttes de laudanum données en lavement avec deux drachmes de térébenthine, sont préférables à deux grains d'opium pris intérieurement.*

---

(1) Oper. medic. tom. 2. pag. 504 (2) Op. cit. pag. 304. (3) Op. cit. pag. 74.

Etiam, quum instans paroxysmus per symptomata prodroma prænunciatur, (ut postremum, salutis et hilaritatis sensu cito in languorem et insuaviter affectum perinæo converso, apud me obtinuit), aut quum iste exoritur per calculum, qui emitti nequit, aut si ejus ortus, præsentibus circumstantiis vel aliis morbis, jam imprimis periculum creare posset, tum admotum opium ad illorum vehementiorem ortum coërcendum, vel ad eos omnino prohibendos, imprimis utile esse potest, ut et me sæpius experientia edocuit. Plurimum paroxysmum progredientem reprimebam, cum sub ortum symptomatum prodromorum de decem ad viginti guttulas laud. liq. Syd. sumerem, tum adjuncti binis scyathis demulcentis potus, et in unam alteramve horam decumberem. Sed eum in modum coërciti, solito citius redibant.

§ XXXVII.

Posterioribus remediis, extus scilicet applicatis, annumerantur clysmata, fomentationes, semicupia, balnea, cataplasmata nec non sanguineæ depletiones.

Sæpe repetita et omni fere dimidia hora injecta clysmata oleosa emollientia et relaxantia ex seminis lini decocto, ex ejusdem oleo cum ovorum vitellis, pro circumstantiis admixtis aliis remediis, hic præcipue conveniunt, non solum ut alvi, cujus adstrictio dolores cæteraque huncce morbum comitantia symptomata graviora reddit, libertas servetur, verum etiam, si aperta sit, ut spasmi solvantur, dolores colici aliaque symptomata leventur.

In perinæo circa vesicæ collum, quod durante paroxysmo, et sæpius per aliquot dies deinceps, post singulas excretiones eo afficitur dolore, quasi vere calculus vesicæ inesset, maxima cum utilitate cataplasmata emollientia applicantur. Quæ etiam, vel et ejusmodi fomentationes reliquis dolentibus partibus, ut regioni lumbali, abdomini si applicentur, ad dolorem tollendum, vel leniendum aliquando multum profeceris. Hæc si non sufficiant in semicupia collocatur æger, quod imprimis utile est ad stranguriam, anique tenesmos temperandos. Multum utilitatis etiam habere possunt balnea, sed interdum vomitus increscunt, cum isti potius sedandi essent, ut et ipse expertus sum.

Ubi acerrimus est dolor, aliquandiu perseverat, aut periculum est ne inflammatio oriatur, vel adest febris, vel majori dosi est propinandum opium, tum nequaquam omittantur depletiones sanguineæ. Quod ad cucurbicularum et hirudinum, sive in regione lumbali, circa uretherum decursum, aut ad perinæum applicandarum numerum locumque designandum; quod ad magnitudinem et iterationem venæsectionum in brachio vel potius in pede, ea omnia adhiberi, et pro præsentibus symptomatibus constitui debent, simul ratione habita et ætatis, et virium et constitutionis ægri. Item quærendum, num is hæmorrhagiis expositus, vel venæsectionibus adsuetus fuerit, quæ jam vel intermissæ fuerint vel neglectæ.

§ XXXVIII.

Altera cura, quæ est extra paroxysmum, vel radicalis, in eo præcipue versatur, ut quæ adsint corpora heterogenea expellantur, sed et ut nova calculorum generatio impediatur. Priori hujus curationis parti ut satisfiat, supra in paroxysmo laudata decocta diluentia et emollientia, abunde assumantur, et reliqua remedia ad relaxandas vias idonea usurpantur. Quum vero hæc non sufficiunt, illis adjungantur mitiora diuretica, nitrum, aquæ minerales, præparata ex seminibus dauci (1), ligno baccisque juniperi, foliis uvæ ursi, salibus alcalinis, junctis simul opiatis, ne spasmi, vel dolores recrudescant. Marcetius (2) refert, doctissimum Henry affirmasse, se sæpius multum acidi urici excerni vidisse, post usum terebinthinæ in connubio opii. Hisce omnibus parum proficientibus, iis pro ægrorum conditione subjunguntur ea, quæ calculi commotionem nonnihil intendunt. Ad hunc finem commendantur corporis exercitatio, equitatio, vectio in rheda, et etiam emetica (3). Antequam tamen ad talia progrediamur, probe inquirendum est, num illorum satis constat præsentia calculorum, quorum volumen uretherum amplitudini respondeat; quod si ita non sit, e contrario quies corporis sedulaque evitatio omnium, quæ vel renes irritare, vel quæ calculi motum excitare possunt, consulendæ sunt. Cautissime etiam hæc remedia adhibeantur, si calculi

---

(1) Tydschrift van kunsten en wetenschappen, eerste deel, bl. 161.

(2) Op. cit. pag. 114.

(3) Magendie, op cit. pag. 66.

asperiores, vel quum inflammatio aliaque graviora symptomata metuenda sint. Posterior hujus curæ indicatio, quæ in nova materiæ calculosæ generatione impedienda consistit, difficile plerumque paratur. Interim ad hunc scopum attingendum a medicis varia laudantur remedia, inter quæ carbonas potassæ, sal sodæ, magnesia, aqua mephitica alcalina et aqua calcis primum locum obtinent. Quidquid sit, actio horum remediorum summopere juvanda est exactâ vitæ ratione et regimine diætetico.

§ XXXIX.

Illis tamen non solum, qui ipsi dicto malo affecti sunt, sed et iis, quorum consanguineis iste morbus ut hæreditarius habendus est, etiamsi fieri nequeat, ut plane eum præveniamus, saltem ut ejus vel levior, vel gravior ortus coerceatur; vel iis, qui jam hoc morbo antea laborarunt, quique adeo natura proclives sunt, ut denuo in pristinum malum incidant, iis inquam, ut provideatur, certa et diligenter observanda vivendi norma præscribenda est, quæ universe huc præcipue redit, ut sobriæ vitæ assuescant. Quod ad victum temperantia observetur. Evitentur cibi crudi, flatulenti, quique difficilius digeruntur. Diæta potius sit vegetabilis, quam animalis, cel. Lobb monuit (1): » vehementer podagrâ » et calculo vexatos omnino victu animali abstinere debere". Potiones diluentes aquosæ blandiores abundanter sumantur. Etiam aqua selterana aliæque aquæ alcalinæ, hac in re utiles repertæ sunt, et dignæ, quæ commendentur, modo ægri eas ferre possint. Magna cautio opus est in sumendis potionibus spirituosis et fermentatis. Inde vel plane abstineatur, vel exiguâ copiâ, vel affundatur magna portio aquosi potûs, qui ita cum spiritu aliquo mixtus efficacior habenda est, quam si purus bibitur, si urinæ secretio promovenda, vel calculi educendi sint. Cerevisia, si usurpatur, tenuis esto et bene defœcata, vel more anglicano semine dauci fermentata. Duriore in lecto cubare prodest, ut prohibeatur, quominus diutius eodem in latere decumbamus, vel nimia fiat transpiratio. Somnus et vigiliæ modica sint, et sibi invicem paria. In coitu teneatur modus. Vehementiores animi affectus, et graviores corporis fa-

(1) De curat. calc. et podag., etc. pag. 127.

tigationes sedulo evitentur. Sustinenda libera est alvi exoneratio, omnesque solitæ evacuationes bene procedant. Denique omnes causæ, quæ per usum visæ sunt alicujus momenti fuisse ad hocce malum producendum, diligentius avertantur.

Brevibus sic Lithiasis Renalis curationem proposui. Scio et fateor, L. B. multa adhuc superesse, quæ de curatione et diæta addi et moneri possent, sed excrescens dissertationis volumen plura addere vetat.

OBSERVATIO PRIMA.

N. N..... quinquagenaria corporis admodum obesi, sed staturæ brevis, prolis 17 annorum mater, et abhinc aliquibus annis cerevisiæ multum dedita, a graviditate sua et verosimiliter propter nimiam corporis molem, primo herniæ umbilicalis symptomata erat perpessa, quam tamen apto bracherio continebat. Mense Septembris 1809 illico summi abdominis cruciatibus ad lumbalem regionem sese præsertim extendentibus, corripitur. Erat abdomen tensum et ad attactum aliquatenus dolens, continuo torquebatur et singultu et vomituritionibus, quæ omnia phænomena febris sat intensa comitabatur, sic ut ad illam advocatus medicus, herniam ejus umbilicalem esse incarceratam suspicaretur. Accersitur chirurgus, qui exomphalocele explorans, omnia quoad partem illam rite valere reperiebat.

Postero die eadem perstabant, eadem fere intensitate symptomata; sed de lotii emittendi impossibilitate conquerebatur, sic ut ad catheterismum esset confugiendum; sub specilli introductione pubis et majorum labiorum pili minutissimis concretionibus calculosis, calculorum renalium indolem præ se ferentibus, obsiti reperiebantur, et unde tam dira malorum caterva produceretur, aperte tunc patebat. Debita instituta medendi methodo, brevi symptomata omnia ita leniebantur, ut negotiis suis iterum fœmina hæc redderetur.

Ab eo tempore urinæ limpidæ, tamen et plus minus coloratæ, similibus concretionibus calculosis, nunc minori, nunc majori quantitate erant

onustæ; aliquando tanta copia prodibant, ut lotii emissionem difficilem, imo impossibilem redderent, ut ad specilli introductionem esset recurrendum.

Initio mensis Novembris 1812 illico eisdem antea enarratis symptomatibus afficitur; sed majori intensitate vigentibus, et penitus fere lotium supprimitur, quod per catheterem erat educendum. Iis, quibus sedata antea fuerant medicaminibus, leniebantur nunc quidem paulisper symptomata, sed multum aberat, ut auferrentur. Concomitans febris continuæ acutæ typum habebat, quæ circa 15um ab ingruente morbo diem, hora circiter quinta vespertina, quotidie cum levibus horripilationibus recrudescebat. Non obstante typi ejus continui, aliquid intermittentis subesse suspicabatur medicus, et pulveris cinchonæ unciam ante vespertinum insultum præscripsit; hoc quidem cum successu ut postero die, si non penitus sublata, multum saltem imminuta videretur vespertina recrudescentia febrilis. Sed quamvis continuaretur usus cinchonæ post dies quatuor aut quinque, non minori intensitate hæc rediit. Cætera omnia symptomata in pejus vergebant, sic ut secunda mensis Decembris, vigesimo quarto morbi die, e vita fuerit sublata.

Obtenta a marito facultate cadaveris incidendi, renes præcipue objectum investigationis anatomicæ fuerunt. Ren sinister in tota sua cavitate erat suppuratus. In parte inferiore pelvis ejus hærebat calculus oblongus acutus N° III; ex inde in partem superiorem ureteris extensus, et turundæ ad instar tam arcte ejus cavitatem obturans, ut ne guttula quidem puris descendere potuisset. Ren dexter in cavitate sua et undique textui ejus proprio infixos innumeros præbabat minutisimos calculos, eis similes, qui cum lotio jam adhinc aliquibus annis continuo fuerant expulsi.

OBSERVATIO ALTERA

Similis fere casus mense Martii 1806 in nosocomio charitatis Parisiis fuit observatum. Sexagenarius jam pluribus annis variis symptomatibus de Lithiasi Renali suspicionem moventibus laboraverat, hujusque morbi tribus ante obitum annis acquisita fuerat certitudo, dum per urinam de tempore in tempus parvulas concretiones calculosas ejecerat. Variis

usus fuerat remediis, quibus lenita quidem paulisper, sed non sublata penitus fuere symptomata, sic ut aliquando brevi recrudescerent, illaque semper expulsio calculorum nonnullorum exciperet. Dum nosocomium intravit, omnia inflammationis renalis symptomata referebat, quæ venæsectione repetita, sanguisugarum applicatione, balneis et fomentis tepidis, nec non copioso potuum diluentium usu aliquantisper sedebantur. Sed altera die majori iterum vigebant intensitate. Ad potus copiam conveniente quantitate urinæ profluvium non componebatur, illudque duobus ultimis vitæ diebus penitus erat suppressum. Symptomatibus sic quotidie increscentibus, duodecimo die, post ejus ad nosocomium refugium, obiit.

Cadaveris autopsia postridie fuit instituta. In rene sinistro innumeri hærebant calculi paralleli, quorum alii spiculæ ferreæ capitis, alii grani milii magnitudinem habebant, similesque erant illis, quos æger tam sæpe, et tantis cum cruciatibus ejecerat. In uretere sinistro et in vesica urinaria horum quidam offendebantur. Dexter erat suppuratus et calculus formæ ovalis N° IV ita pelvim ejus implebat, ut turundinis adinstar partem ejus inferiorem obturaret, et per processum suum orbicularem, stalactitii ad instar ei appendentem, in supremam extremitatem ureteris sese immitteret.

OBSERVATIO TERTIA.

N. N..... triginta octo annis nata, innupta, jamjam aliquibus annis, de ventris doloribus sese a lumbis ad partes genitales internas extendentibus erat conquesta, quæ initio cum irregulari menstruatione, postea cum plenaria catameniorum suppressione erant conjuncti; unde affectionum hystericarum ordo totus vario sub schemate illam diversis temporibus excruciaverat.

Varii accersiti fuerant medici, varia et innumera adhibita medicamina sed incassum, quum de indole et de natura morbi, nunc pro amenorrhea, nunc pro hysterica passione, tunc pro uteri affectione organica habiti, uno quum corpus marcore conficeretur pro phthysi et tabe aspecti, non bene constaret. Cæterum pater, homo durus et laboriosus, nihili facere

morbum filiæ suæ videbatur, quem totum affectioni hystericæ, vel ut vulgo ajunt, innupto puellæ statui attribuebat. Sic ut ea plus simplici vice, patri, de ignavia et de continuis lamentis quasi objurganti, respondiderit: morbum suum solummodo post mortem, per cadaveris incisionem, cognitum iri, illumque tunc convinci, se non absque legitima causa tamdiu conquestam fuisse. Tandem morbi diuturnitate et diris cruciatibus, viribus exhaustis et corpore marcore confecto, supremum diem obiit, anno 1810 mense Novembri.

Commotus tunc pietate pater, et responsionem filiæ suæ memor, petenti chirurgo autopsiam cadaveris permisit, quæ, si renes excipiamus, nihil insoliti in toto corpore ostendit. Unum alteriusque renis parenchyma proprium ita erat consumptum et destructum, ut sacci membranacei, non parenchymatosa viscera amplius viderentur, et vesicæ urinariæ tenuitatem referrent. Inæqualis undique et gibbosa erat superficies. Cavitas interna aquoso latice erat repleta, cui corpora dura et lapidea inæqualia admodum, et per inæqualitates suas, gibbositates superficie externæ renum determinantia, innatabant. In rene dextro calculus N° I. in sinistro N° II. notatus, hærebant. Quod in hoc casu summe mirum: 1° quod a nullo medico, qui ægram hanc inviserant, (nisi a clarissimo doctore Wauters, qui illam duabus circiter ante obitum hebdomadibus visitavit, et morbi indolem ex copioso lateritio, et quasi calcareo urinarum sedimento novit,) calculi renales fuerint suspicati, quandoquidem verosimiliter morbus, symptomatibus Lithiasi Renali propriis, stipatus non fuerit. 2° Quod, non obstante destructione parenchymatis proprii utriusque renis, urinæ tamen sat notabili copia fluerent (1).

OBSERVATIO QUARTA.

Quo tempore hancce dissertationem componebam, in animum induxe-

(1) Duo hi calculi in musæo mei optimi præceptoris, clar. prof. *Verbeeck*, qui autopsiam instituit cadaveris, servantur, cuique sat gratiarum habere non possum, quum tres præcedentes observationes et calculos sub numeris I, II, III et IV delineatos ejus amicitiæ debeam.

ram, mei ipsius morbi historiam, commemoratis etiam minimis rebus, quæ isti morbo parumper adnexæ videbantur, tradere, nec non ea, quæ antecedebant et ipsius initia, progressum curationemque comitabantur, litteris prodere lubebat: eo consilio quidem, ut, si fieri posset, circa ejusmodi morbi ortum, symptomata et curandi modum plus lucis affunderem. Quum haud ita multi post, graviores quædem intercesserint causæ, quæ quominus hocce propositum persequerer, me prohibuerunt, mutatâ sententiâ, nunc jam nonnisi, ut ita dicam, epitomen elaborare visum est.

Cum quidem ex iis natus essem parentibus, eosque habuissem cognatos, in quibus Lithiasis Renalis, vel ne arthritis quidem unquam observata fuisset, quamvis antea numquam ne minime quidem male affectum esset systema uropoeticum, quod quidem validissimum de toto corpore ducebam, tempore pomeridiano, initio mensis Martii 1821, plus solito mane moto corpore cum cursu tum etiam brevi quidem sed citatiore equitatione, suaviter paulo ante etiam cœnam sumpseram, ecce subito ejusmodi fere symptomata, brevissimis cum intervallis sibi succedentia, me invadebant, quæ postea in singulis paroxysmis eodem tempore vel lenius, vel vehementius semper adfuerunt. Toto corpore ægrius me habebam. Horripilationes experiebar. Obnixo ventri genu, prono esse habitu, et subinde mutare locum cogebar. Irritatio oriebatur, vel pruritus glandis, interdum vix tollerandus. Vehemens, et initio continuus ad emittendam urinam nisus. Prodibat exiguum spasmodici lotii. Assidui tenesmi comitabantur perpetuo alvi exonerationes, quæ ferme erant pitituosæ, vel tenuioris fœcis. Crebro hæc sola apparebant symptomata, vel iis, modo hæc, modo illa, etiam pro temporibus vehementiora, quæ deinceps referre in animo est, adjuncta erant. Id temporis modo commemorata symptomata subsequebantur intolerabiles dolores colici, qui pariter cum accedentibus vomitibus assidui comitabantur, quique ita me afficiebant, quasi per editos ventris crepitus, qui per spasticum statum tractus intestinorum non edebantur, et quibus intermissis crescebant dolores, quasi inquam, diminui non solum sed et plane tolli ista ægritudo videretur. Quin et lumbalis regio tristi sensu correpta erat; attamen minoris illud erat momenti, si reputem vehementiam reliquorum modo dictorum

symptomatum, quæ efficiebant, ut lumbalis doloris minor quasi ratio haberetur. Quumque, ut jam superius commemoravi, numquam aliquantum gravellæ animadvertissem, nec mihi lumbi umquam, vel urinariæ viæ ne parumper quidem doluissent, non potui pervenire eo, ut Lithiasi, id quod postmodo apparuit, id temporis affectus mihi viderer. Natura emissæ urinæ, quæ plurimum una fere pariter cum exoneratione prodibat, cum exinde, tum etiam per paroxysmi dicti vehementiam eo, quo incidebat tempore, mihi latebat. Quæ vero postridie proveniebat urina, videbatur mihi sedimentum mucoso-sanguineum continere, unde enascebatur suspicio, an non et præcedente die emissæ urinæ admictus sanguis fuisset. Quod quidem symptoma, cæteris adjunctum, profecto multum lucis circa justam morbi naturam mihi affudisset.

Per huncce paroxysmum admovebam, ut tamen parum levaminis sentirem clysmata repetita oleosa emollientia, balneum tepidum, nec non fomentationes emollientes. Sumebam ejusmodi decocta parumper aromatica, mixtura oleosa, etc. Tandem, gravi ac perputuo dolore coactus, assumere statuebam mixturam ex laudani liq. Syd. dr. ß et aq. fœn. ℥ ij. constantem. Cum exinde cochlear eo repletum sumsissem, mox per vomitum reddebatur. Brevi post et alterum cochlear sumsi, quod, nullo edito vomitu, cito aliquod mihi levaminis attulit. Elapsâ horâ iterum exsurgebat dolor, quo facto et tertium adjungebam cochlear, unde postquam duodecim per horas acerrimo cum cruciatu luctatus essem, levabar, et optatam quietem assequebar.

Satius quidem, imo prudentius fecissem, si hac in re locales et generales sanguinis emissiones non neglexissem, *at nemo mortalium omnibus horis sapit.* Quid vero medicus? qui non semper sui morbi status æquus judex haberi potest.

Tertio die post dictum paroxysmum, per tres continuos menses, æque ac ante id tempus me habebam, ut ne minimum, vel exiguum symptoma, quo morbus iste conjici, nedum dignosci posset, animadverterem. Iterum ex improviso, die Solis aliquo mane, præcedentis paroxysmi prius dicta symptomata me invadebant. Nec colici dolores, vel nephritici, vel vomitus hic aderant. Non ferenda in glande penis irritatio, dolor collum vesicæ exagitans post quamque urinæ excretionem, et insignis natura

mutatioque emissæ urinæ, præcipua sese offerebant symptomata. Intra duodecim horas, dum utebar emollientibus potibus, iste finiebatur paroxysmus, quomodo id postea in ejusmodi paroxysmis plerumque obtinebat.

Quod ad urinæ naturam per paroxysmos, qui quum hic, tum et postea acciderunt, hoc quidem loco non alienum fuerit, quæ deinceps sequuntur, commemorare. Urina identidem parvâ copiâ emittebatur, sed simul collecta circiter matulam implebat. Quoties emittebatur, erat liquida speciem albuminis ovi attenuati, vel seri lactis referebat, identidem mucoso-fibrosam materiem complexa, ad magnitudinem ostreæ; interdum etiam ter majorem, et subinde cum striis sanguineis mixta erat. Hæc materia, quæ solita pituita primo intuitu multo durior videbatur, cito manibus tractata liquescebat, paululum elasticæ materiæ relinquens. Aliquo post excretionem tempore, urina ea gelatinosam speciem induebat, quæ simulac eliciebatur, formam ejus, cui infuerat, vasis retinebat. Aliquot post horas illa urina iterum pristinum liquidum accipiebat statum, quem etiam induerat materies ista, una turbidam, inhærentibus multis mucosis materiis, urinam exhibens.

A secundo ad extremum usque paroxysmum, idem hoc semper observavi. Quoque erant vehementiores paroxysmi, eo majores erant partes ejus mucoso-fibrosæ materiæ, eoque celerius et manifestius ea gelatinosa mutatio locum habebat.

Tantummodo duo mihi exempla urinæ, post excretionem ejusmodi speciem induentis innotuerunt: alterum apud Baglivium (1) ita descriptum reperimus: » Nuper arthriticus quidem Romæ excrevit urinam crassam » et copiosam, quæ paulo post in consistentiam gelatinæ coagulata fuit » et liber evasit ab arthritide." Alterum cel. Swietenius (2), auctore Douglasio (3), litteris prodidit ejusmodi » In homine robusto, qui a quarto anno » ætatis vehementem dolorem in dextri renis regione senserat, et in » cujus cadavere, postquam quinquagesimum tertium compleverat, bini » calculi in hoc rene reperti sunt, inter plura hoc sequens mirabile » observabatur symptoma, quod toto hoc tempore, quo dolor acerbus

(1) Op. medico-pract., lib. I. pag. 117.
(2) Op. cit.
(3) Med. essays and observ., tom. I. N° XXI. pag. 231 et seq.

» urgebat, demitteret urinam, quæ parum dum refrigesceret tantum, » albuminis ovi glutinosam tenacitatem habebat."

Per septem deinceps Solis dies, eadem fere hora, pari modo ac supradicto die, afficiebar: octavo vero subsequente die Solis, (ad quod usque tempus et me, et medicos (1), quos hac de re consulueram, semper justa morbi natura adhuc latuerat, quod mirum videri nequit propter symptomata primæ morbi evolutionis admodum æquivoca) cum periculo et cruciatu manifeste de morbi mei ratione ac circumstantiis persuadebar. Solita symptomata vehementiore licet gradu præcedebant. Quæ cum urina emittebantur partes mucosæ, abundabant et solito majores erant. Harum uni adnexi reperiebantur calculi ad magnitudinem fere frumentarii grani, et quantum id conjicere erat, illo ipso tempore porro nulla apparebat materies calculosa. Exinde primum excrucians renalis dolor oriebatur, qui ad quamque urinæ excretionem accrescebat. Mox subsequebatur vehementior vomitus, ut et post, eo præsente, semper obtinuit. Pituita ad pus proxime accedens sanguine mixta per anum efferebatur. Acerbissimæ constrictiones et anxietates præcordiorum insignisque hæmaturia proveniebant, et ferme viginti quatuor horas persistebant, invitis subsidiis, quæ in ejusmodi rebus vulgo indicata sunt. Biduo post consimilis paroxysmus oriebatur, quem comitabatur minus vehemens hæmaturia. In ollæ fundo, in quam, durante paroxysmo, emissa erat urina, postquam collicuerat, reperiebam binos acuminatos, ferrique rubiginosi speciem præ se ferentes calculos. Post Solis dictum diem, numquam mihi iterum obtigit, quo tempore excretio fiebat, eos animadvertere. Quod probabiliter inde fiebat, ut et conjicere mihi licet; plurimum isti pituitæ involuti erant, quare demum, eâ liquefactâ, apparebant. Deinceps per subinde incidentes paroxysmos nempe a primo ad extremum usque, per duodeviginti menses, cruciabar, adeo ut, (excepto primo intervallo duodecim hebdomadum, altero septem et tribus duarum hebdomadum), isti vulgo quarto vel quinto die, vel septimo et octavo, frequenter etiam alternis diebus, vel quotidie, ut bis per binas

---

(1) Notandum tamen Clar. Virum, Prof. *Van Rotterdam*, de verâ morbi indole jam dudum vera suspicatum fuisse

hebdomadas expertus sum, me invaderent. Qui, si absque lumbali dolore accederent, in superius dictis symptomatibus acquiescebant, et vulgo ut jam relatum est, intra duodecim horas, finem habebant, nullaque iis unquam excretio adjungebatur. Quoties vero ille dolor lumbalis exoriebatur, post singulas urinæ excretiones accrescebat; semper totam lumbalem regionem occupabat, ut numquam in sinistro dextrove rene insigniter sedem haberet, eique semper, sæpe subito, et ratione habita ejusdem doloris, accedebant mucosi, biliosi, æruginosique vomitus, qui plurimum ad paroxysmi finem usque aderant. Hujus finem appropinquare adauctæ urinæ excretiones et diminuta pituita copia certo indicio erant, quamvis cætera persisterent symptomata. Ejusmodi paroxysmus plurimum a duodeviginti ad triginta sex horas procedebat, et plerumque calculorum excretiones eum consequebantur, quæ eo certius conjici poterant, quo vehementiora fuerant hæc symptomata, et imprimis vomitus; quibus exactis postridie mane totam oris cavitatem obsitam ad aliquot linearum densitatem nonnumquam sentiebam crusta lardacea, quæ aliquot diebus post per particulas delabebatur. Ad lumbalem dolorem et vomitus pro temporibus accedebant modo minus, modo vehementius, cum hæc, tum illa, istos paroxysmos plerumque comitantia symptomata, quorum in hujusce historia jam aliqua ex parte mentio facta est.

Jam diffuse dictis de nonnullis remediis, quibus stante hoc morbo usus fui, adhuc breviter sequentia adjungam.

Sales alcali fixi eo respectu utiles mihi videbantur, quod universe urinæ excretionem adjuvabant, et faciliorem reddebant; quod sedimentum, quod in absente paroxysmo emissa et refrigerata urina frequenter aderat, per eorum usum raro animadvertebatur; denique, quod calculorum excretioni proderant: quo tamen ipso calculi sedati commovebantur, unde mox paroxysmi ortum habebant; quare simulac horum aliqui, post eorum usum, absque calculorum emissione apparebant, interdum desistebam ab eorum remediorum usu. Quod si eventum considerassem, facere non debueram. Quamvis enim mihi in eo procedenti multo vehementior paroxysmus emineret, aliunde etiam per experientiam me non fugiebat, absente ejusmodi paroxysmo, numquam excretionem accidere. Fortasse ergo satius fuisset, hæc remedia caute quidem, sed aliquantum audacius susti-

nuisse. Quo facto primum excretio fuisset accelerata, atque ita ab istis temperatis paroxysmis, qui nullius usûs erant, liberatus fuissem. Deinde etiam forte, quominus præsentes suscrescerent, et novi formarentur, qui utrique paroxysmorum ortum sustentabant, prohibuissem. Quum vero vehementiores paroxysmos vererer, iisque adjunctum periculum prospicerem; cumque anxius hæsitarem, nonne forte, qui emitti non posset, calculus subesset, qui per eorum usum loco moveretur; id temporis ejusmodi consilia capere penes me non erat. Eo accedebat, ut mihi illa remedia hæmorrhagias efficerent, vel et præsentes augerent; appetitum tollerent; flatus et borborygmos crearent.

De alcalinis remediis, plerisque in rebus sapo medicatus mihi placebat, cujus usum cum magnesia alba mutabam, quæ respectu sedimenti eumdem effectum prodebat, paroxysmos, vel hæmorrhagias non excitabat, et organis digestionis melius consulebat. Quamvis hac in re etiam aqua mephitica alcalina, vel sola vel lacti admixta, quod eâ continetur acidum carbonicum præparatis alcalinis eo principio orbatis, præferenda sit, quod consentit opinioni Duncani (1), tamen ab ejus usu mihi erat abstinendum, quia exagitabat nimium meam constititutionem et tussim et hæmorragias suscitando.

Per totum morbi tempus, vivendi rationem cum accuratissimam, tum ad eum maxime accommodatam, observabam. Potiones spirituosas et fermentatas, quas antea rarissime sumebam, nunc plane intermittebam. Diæta animali, qua antea præcipue utebar, nunc interdum prorsus abstinebam, et, quantum tempora sinebant, cum magis vegetabili permutabam. Lactis usum, quo ante etiam frequenter utebar, quantum fieri poterat, diminuebam, quoniam post ejus usum urina semper aliquantum illius sedimenti furfuracei in se continebat. Potum, quem parce sumebam, exinde augere cœpi. Ad solitum potum pertinebat decoctum ex hordeo, radicibus graminis et liquiritiæ compositum, admixto interdum et interdum omisso nitro. Equitationem plane intermittebam, idque eo magis, quod animadverteram, ex quo equitare instituerem, hæmorrhagias narium, quibus ante illud tempus laborabam, destitisse, et morbum hunc

(1) Annales de littérature médic. étrang., réd. par le prof. Kluyskens, vol. 6. pag. 571.

ortum fuisse. Quin et cognovi hæmorragias his cum paroxysmis subinde alternatas esse: ut, cum illæ adessent, sicut in maximis intervallis obtinebat, hi non existerent, vel demum longiore tempore post insiderent et minus vehementes essent. Quare interdum illam adjuvabam, si aliquatenus existebat, vel alioquin aliquot hirudines ad anum applicabam. Ita et paroxysmi de vehementia multum remiserant et nulla sanguinea urina per tempus, quo sæviebant, prodibat. Quibus omnibus adhibitis, cum nihilomus tamen constanter cum morbo illo conflictarer et quotidie vires mihi decrescerent, utilissimum duxi patriæ cœlum moresque experiri. Quem ad finem, brevius et prudentius terrâ iter facturus, mane aliquo lente vehiculo vehi tentabam. Post meridiem iterum incurrebat paroxysmus, quo durante et irritatio glandis penis, et pituitæ excretiones solito longe minores erant; qui vero respectu vomituum, dolorum colicorum, et nephriticorum præcedentes omnes, quos huc usque expertus eram, vehementiâ superabat. Quo facto id temporis de nephritide acuta sollicitus, post balneum et venæsectionem pedis, quæ parum sanguinis produxerat, duodeviginti majores hirudines ad lumbalem regionem applicandas curabam. Hoc quidem difficulter fiebat, propterea, quum summi cruciatus, vix quietum corpus tenere valerem. Per eas effecta vulnera multum sanguinis emittebant. Postridie mane, exacto paroxysmo, per biduum variis rebus solito paulo debiliorem me sentiebam. Tribus ferme hebdomadis post, mari iter suscipiebam, et ex quo postremus incidit paroxysmus, qui fuit ineunte mensis Septembri 1822, quo durante, vel exacto, nullam prorsus calculo materiem emisisse animadverti, ad hoc usque tempus, faxit Deus ita sit perpetuum! jam per octo circiter menses, prorsus ne minimam ejus morbi partem expertus sum, quamvis et vecturam de industriâ tentaverim; et quod solatio sit iis, qui forte pari laborarunt ægritudine, ex tot tantisque morbi miseriis hodie tandem ad pristinam valetudinem mihi redire contigit.

De calculis emissis, quod spectandos eos amicis exhibueram, plurimi maximique perierant, ita ut pauci tantummodo mihi superfuerint, quos Clariss. Prof. *Hauff* chemice exploravit, cujusque descriptionem hoc ipso loco exponam, et pro qua opera benevole data Clarissimo Viro gratias et habeo, et ago maximas.

Examen calculorum ab auctore hujus dissertationis cum urina excretorum.

I. DESCRIPTIO.

Calculi nobis traditi coloris respectu habito in tres dividendi erant classes.

Prima classis continebat frustula colore rufo distincta numero quinque, magnitudine reliquis longe inferiora, adeo ut minimum eorum capitellum aciculæ subtilissimæ vix adæquaret. Ad figuram quod attinet, hæc frustula uti reliqua omnia erant polyedra, ab omni ordinata figura recedentia, utpote quæ corpuscula referebant inturgescentia materiæ alicujus liquidæ spissioris, cujus nisus extrorsum tendebat, formata et in hoc ipso inturgescentiæ statu, forma solida continuo arrepta, indurata. Infinitus fere numerus tuberculorum foraminulis pariter innumeris diametri diversissimæ interstinctorum totius compagis speciem externam spongiosæ similem reddidit. Plurimis autem foraminulis inspersa inhærebant minima granula arenæ subtilissimæ e cinereo albidæ, adeo ut diceres, quodlibet frustulum resectum fuisse ex latere cocto, fortiter quidem sed non nimis usto. Hæc quinque frustula pondere adæquabant 3 Dd. (1).

---

(1) Nota Dd. innuimus Marcæ Coloniensis *Denarium directorium*, cujus quintuplum æquatur 87 granis ponderis medicinalis Norimbergensis, proinde unum granum hujus ponderis 17 2/5 Denariis directoriis æquale deprehenditur.

Hac occasione data nostrarum esse partium existimamus, publice profiteri, nos, cum omnibus, quibus vita ac salus hominum curæ cordique est, non desinere Deum precari, ut, qua rebus humanis prospicit gratia, avertendo averruncet, ne cui in mentem veniat, nobis obtrudere granum ponderis medicinalis eo, quod hucusque in usu fuit, *majus*, quippe quod nulli ætati minus, quam nostræ, convenire possit, quæ tot remedia proposuit et introduxit, quorum ener-

Secundam classem occupabant sex frustula prioribus quadruplo fere majora, colore intense fusco distincta, et a frustulis classis primæ non nisi hac duplici nota differentia, quod plus granulorum arenæ inspersum ostendebant, quodque splendor ex tota superficie renitens speciem frustulorum e latere cocto ad vitrificationem usque usto resectorum illis conciliabat.

Hæc sex frustula pondere æquabantur 20 Dd.

Tertiam classem unum constituebat frustulum magnitudine quidem majoribus classis secundæ fere æquale, colore autem medium fere tenens inter eum, quo classis prima et eum quo secunda distinguebatur, cæterum cum classe prima defectu splendoris, cum secunda multitudine inspersæ arenæ conveniens eamque hoc respectu adeo superans. Illius pondus adæquabat 5 Dd.

Ponderis igitur omnium horum calculorum summa semissem unius grani ponderis medicinalis vix superabat.

Omnibus hisce frustulis major erat durities, quam quisquam poterat suspicari exiguum eorum pondus specificum respiciens, quippe quod I, III non excedere pluribus experimentis compertum est.

II. EXPERIMENTA PRÆPARATORIA.

1. Frustulum maximum classis secundæ serra dissectum in utraque intersectionis superficie eamdem ostendit structuræ speciem quam integra superficies externa præ se ferebat. Color quoque externus totam massæ compagem æquabili ratione penetravit. Pulveris autem abrasi color magis dilutus et in pulvisculis minimis cinereo proprior erat. Ceterum hic pulvis lapideæ potius, quam ligneæ, scobi similis videbatur. Intersectionis superficies nec stratorum nec nuclei aliquod vestigium ostendebant.

---

gia tanta est, ut non ex integro grano, non ex quadrante aut sextante grani, sed vix ex decima, duodecima aut vicesima imo quinquagesima parte ejusdem citra anceps periculum ægrotis porrigi possint. Facile igitur cuicunque patebit, neminem mortalium in tam sublimi loco constitutum esse, quin jure vereque illi dicere possimus : »*de tuo quoque corio in hac re juditur!*"

2. Classis primæ et secundæ plura frustula subjecta deinceps actioni aquæ destillatæ, solutionis potassini saturatæ, concentrati acidi sulphurici, nitrici, muriatici, singulorum per 24 horas, ne vestigium quidem alicujus mutationis ostenderunt. Non majorem vim in illis afficiendis exseruere solutio potassini natrique carbonici atque acida modo commemorata, æquali vel duplo aquæ volumine diluta.

3. Eadem frustula in crucibulo actioni ignis furni anemii exposita ignitionem rubefacientem citra aliquam mutationem per semihoram tolerarunt. Postea per idem temporis spatium æquali vi restiterunt flammæ lampadis vitrariorum, ope follis duplicis tubulo ferruminatorio adjuncti in illa conjectæ.

III. ANALYSIS CHEMICA.

Frustulum classem tertiam constituens cum semuncia solutionis potassini puri in mortario vitreo trituratum in liquorem spissiusculum reductum est, qui deinde addita altera semuncia ejusdem solutionis dilutus in vitro sphærico collo oblongo instructo flammæ lampadis argandicæ admotus ebullitione per semihoram continuata ad siccitatem redactus est. Residuum siccum infusa aqua distillata solutum addita acidi acetici quantite, hujus solutionis semissem fere adæquante, præcipitatum formavit magma floccosum albidum referens. Hoc percolatione a liquore separatum atque desiccatum, dein acido muriatico infusum cum insigni stridore magnam emisit quantitatem bullularum substantiæ aëriformis, quæ turbamento in aqua calcis producto aëris carbonici indolem satis aperte prodidit. Finita aëris elevatione in fundo relictum est sedimentum albidum pulverulenti speciem præ se ferens, quod primo ammonio liquido dein aqua destillata modo frigida modo fervida satis lotum et purgatum tenuissimarum bracteolarum et squamularum formam induit. Liquor a percolatione residuus vini rhenani colorem æmulatus est.

Alia istius residui solidi portio acido muriatico diluto infusa majorem adhuc bullularum aërearum numerum et rapidiore motu emisit.

In aliis frustulis utriusque priorum classium ceterum eadem ratione tractatis usus acidi sulphurici vel concentrati vel diluti in locum acidi

muriatici suffecti circa residua vel solida vel liquida eadem omnino phænomena manifestavit.

Liquores ab omnibus istis percolationibus residui et in unum collecti ab acido acetico, muriatico, nitrico atque sulphurico non ultra afficiebantur, sed acidum nitrico-muriaticum guttatim admixtum massæ liquidæ turbamentum floccosum continuo induxit, quod spontaneo particularum congressu paulatim coarctatum gelatinam animalem exhibuit et colore et crassitudine glutini vulgari, expulsa post præviam solutionem aqua in coagulum redeunti, non absimilem, quam cum ea, in quam urina tempore accessionis morbi excreta brevissimo intervallo transire soleat, in omnibus notis convenire ægrotus stupefactus agnovit.

Quatuor, quæ reliqua erant, secundæ classis frustula cum majori quantitate potassini liquidi primo contrita, deinde ebullitioni per integram horam commissa, cum acido muriatico, liquori frigefacto guttatim affuso formarunt præcipitatum pulverulentum albidum, quod a liquore separatum et iteratis lotionibus, ammonio liquido et aqua destillata effectis, purgatum in squamulas prius memoratis similes abiit. E liquore residuo acidum nitrico-muriaticum admixtum non nisi leves quosdam floccos gelatinæ animalis separavit.

IV. EXAMINIS CHEMICI SUMMA (LE RÉSULTAT.)

Ex omnibus hisce phænomenis tuto colligi posse arbitramur, calculos examini subjectos ex acido urematico (1) et gelatina animali fuisse compositos, quam conclusionem hisce porro argumentis confirmari vidimus:

1. Bracteolæ albidæ absolutis lotionibus relictæ et odoris et saporis expertes erant;
2. Aqua ebulliente solvebantur;
3. Hæc solutio chartam tinctura laccæ coeruleæ imbutam rubefaciebat;

(1) Nomine e græca voce οὔρημα formato *urematicum* vocamus istud acidum, quod alii *uricum*, alii *lithicum* dicunt, quæ ambo nomina parum convenire videntur, cum alterum derivatum videri possit a nomine celeberrimi chemici americani *Ure*, alterum a nova substantia alcalina, cui cel. *Berzelius Lithii* nomen imposuit; eamdemque ob causam istud principium, quod alii *uream* vocant, nobis dicitur *urema*.

4. Prætera solvebantur acido nitrico;

5. Bullulæ aëris muriatici oxydati solutioni aquosæ bracteolarum immissæ hasce ita disjungebant, ut formatis floccis dilute flavescentibus tenuis gelatinæ speciem inducerent.

Denique pluribus aliis experimentis, quorum descriptio non est hujus loci, convicti fuimus, earum substantiarum, quas præter acidum urematicum in calculis humanis *Foürcroius*, *Vauquelinus*, *Wollastonius*, *Brandeus*, *Marcetius*, *Proutius*, alii invenerunt, in calculis a nobis examinatis nihil deprehendi posse.

Gandæ d. 10 *Junii* 1822.

C. HAUFF.

POSITIONES MEDICÆ.

I.

. . . . Nephriticis hæmorrhoïdes supervenientes bonum.

Hipp. sect. 6. aph. XI.

II.

Operationem, quæ nephrotomia vocatur, ne quidem tentari posse censemus.

III.

Iis, qui calculos in renibus latitantes non posse solvi, fatentur, adsensum damus.

IV.

Nephritidem a calculo, et calculum a nephritide produci posse admitto.

V.

Medice vivere, optime vivere.

VI.

Medicorum circa artis salutiferæ theoriam dissensus, huic arti sæpe prodest.

EXPLICATIO TABULÆ,

Exhibentis icones calculorum renalium, ad naturam fideliter delineatas.

Figura I.

Calculum exponit, in cavo renis dextri repertum, sectione cadaveris instituta, apud subjectum, de quo in observatione tertia sermo fuit. Hæ eædem litteræ A, B, C, eumdem calculum alia facie versum repræsentant. Corpus calculi in A, C, per *a, a* exhibetur. In B omnino deficiens, utpote hoc modo delineatum invisibile. Quatuor, quibus calculus ornatur rami, in A, B, C, litteris minusculis *aaa*, *bbb*, *ccc*, *ddd,* indicantur. Hic calculus coloris est cinereo albescentis maculis nonnullis luteis permixti.

Figura II.

Calculum exhibet in renis sinistri cavo detectum apud subjectum, de quo supra sub *fig. I.* fuit locutum. A, B, C, varias hujus calculi facies exponunt, cujus corpus, in A, C, expressum, in B vero ejusdem lateris invisibile, *aa*, et quinque quibus ornatur rami in A, B, C, per *bbb*, *ccc*, *ddd*, *eee*, *fff*, designantur.

Figura III.

Calculum ostendit in cadavere fœminæ detectum, de qua in observatione prima relatum fuit. A superiorem superficiem designat. B, C, D, E, varia ejus latera. *aaaa* partem superiorem in pelvi renali; *bbbb* inferiorem in urethere comprehensum, exponunt.

Figura IV.

Calculum designat in calice pelvi dextri renis repertum, cujus in observatione secunda legitur historia. Quæque in eodem notatu digna occurrunt, triplici delineatione, A, B, C, expressa, in conspectum tradit. *aaa* calculi corpus designant, in quo duo observantur sulci; in A, B per litteras *cc*, *dd*, in C, per litteram *c* expressi; qui vero littera *d* exprimitur ab altera parte cerni nequit. *bbb* proëminentiam in uretere comprehensum designant.

Figura V.

Hic calculus non formâ modo, et quem vitæ tempore tenebat loco, sed variis etiam, quibus ornatur coloribus, insignis est. A, B, C, varia exponunt latera.

aaa corpus calculi, in pelvi renali dextrâ detecti exhibet, mille sparsim granulis durissimis, splendentibus, pulcherrimisque ubique coloribus, albo, cinereo, luteo, fusco, nigro variegatum, et proëminentiis variis instructum, quarum maxima litteris *bb*, in fig. A, B expressa, per aperturam prædictæ pelvis ad ureteris initium, inde ad partem vertebræ lumbalis membranam ejus perforabat, ita ut ejus cavum ad digiti unius latitudinem libere proëmineret, in cujus proëminentiæ collo unius pluriumve linearum latitudinis incisura observabatur, ubi ureteris sacco arctissime circumstringebatur, neque ex illo sine vi majori liberari poterat. Hujusce proëminentiæ superficies superior in fig. C per *b* expressa, nitida erat, et polita. Vertebra lumbalis, ubi prædictæ superficiei erat contigua, nuda, periosteo destituta, et carie adfecta observabatur. Præter descriptum calculum, septem et triginta minores præterea fuerunt detecti, quorum omnium nitida erat superficies, coloris lutei cinerei. Solus, et inter cæteros pulcherrimus, nigro colore erat imbutus.

Ex secto cadavere constitit renem dextrum, in cujus cavo descripti calculi fuere reperti librarum trium ponderis fuisse. Æger ex lapsu graviore, quem anno ætatis decimo quinto in regione huic reni respondenti, passus erat, mixtu sanguineo et purrulento per aliquot temporis fuerat affectus. Ren sinister naturali erat voluminosior, substantiam mollem, et quasi aqua macerata referens; sed absque calculis. Quoad reliquam morbi historiam, quo iste æger laborabat, qui quadragesimo nono ætatis anno obiit, Benevolus Lector descriptionem consulat, quam ea de re præstitit clar. Vir Wauters (1), quæque magni est momenti, præcipue symptomatum causa, quæ in isto ægro apparebant. Id unum necesse habeo, ut nempe exinde, sicut etiam aliqua ex parte, in explicando calculo facere conatus sum, commemorem verba, quæ tanquam finem narrationi adjicit auctor:

Nonne mirum videtur, nullum in secretione vel excretione urinæ insigne impedimentum observatum fuisse?

Nonne rarum et inauditum, numquam evomuisse ægrum?

Nonne calculorum origo jure ipsi adscribenda lapsui?

Iste autem calculus, sex dragmarum scrupuli unius pondere, cujus possessor est cl. dr. Wauters, dignus mihi videbatur, qui tabula exprimeretur; idque meis precibus adductus dominus benevolus mihi haud denegavit.

Vidi nihilque reperi, quod legis Academicæ paragrapho 56 *adversetur.*

F. E. VERBEECK.

Fac. Med. h. t. Decanus.

---

(1) Verhandelingen van het genootschap ter bevordering van genees en heelkunde te Antwerpen. Eerste deel, bladzyde 234.

GANDAVI, TYPIS P. F. DE GOESIN-VERHAEGHE, ACADEMIÆ TYPOGRAPHI.

Fig. IV. A.



B.



C.



Fig. II.



A.



B.




C.


Fig. III.



A.




B.



C.



D.



E.

Fig. I.



A.



B.



C.

Fig. V.



A.



B.



C.

Kierdorff Lith: Gandæ.

